Quaestiones Suetonianae

De vitis Persii Lucani Horatii

Dissertatio inauguralis

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in alma litterarum universitate Vratislaviensi ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Franciscus Glaeser

Silesius

Die VIII. mensis Maii a. MCMXI hora XII. et dimidia disseret doctorandus in Aula Leopoldina

De Copa

Deinde erit promotio



Vratislaviae

Typis officinae A. Favorke

MCMXI

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch

Examen rigorosum habitum est die XIV. mensis Decembris a. MCMX

Francisco Skutsch

sacrum

Conspectus libelli.

Praefatio.

Suetonii Tranquilli ex ingenti copia scriptorum, quibus ille homo eruditissimus totam fere doctrinam antiquis temporibus notam complexus est et posteris tradidit, quamquam duos tantum libellos nobis esse servatos nemo nescit, tamen vestigia eius studiorum in commentariis et epitomis ultimis antiquitatis saeculis compositis non ita raro inveniuntur atque etiam collecta et disposita sunt. Quarum reliquiarum origo Suetoniana cum in aliis certis testimoniis affirmetur, in aliis adhuc ambigua est quaestio, sicut in vitis Persii et Lucani poetarum. His de vitis quamquam iam multi egerunt, tamen denuo quaestionem instituere hoc opusculo operae pretium iudicavi, atque ceteris testibus repudiatis ut minus fide dignis, solam hanc inquirendi viam rarius adhuc temptatam mihi proposui, ut e genere sermonis comparato cum Suetoniano Tranquillum esse auctorem demonstrarem. Sane non ita magna est materia, quacum vitae conferantur, sed eo maioris momenti summa similium dictionum copia quam inveniemus, esse mihi videtur.

Libri autem quibus ad opus perficiendum imprimis usus sum, hi sunt:

I. Editiones: Suetonii opera, c. indice, ed. Baumgarten-Crusius. Lpz. 1816—1818.

De vita Caesarum libri ed. Ihm. Lpz. 1908.

Suetonii reliquiae praeter Caesarum libros. ed. Reifferscheid. Lpz. 1860.

Persii saturae cum prolegomenis ed. O. Jahn. Lpz. 1843.

Persius et Juven. ed. Buecheler. Berl.[3] 1893.

idem opus quartum ed. Fr. Leo. Berl. 1910.

Lucani opera ed. Hosius. Lpz. 1905.

Commenta Bernensia ed. Usener. Lpz. 1869.

Adnotationes super Lucanum ed. J. Endt. Lpz. 1909.

II. Commentationes virorum doctorum:

Casp. Barth: Adversaria. Frankfurt 1629.

Weber: Vitae Annaei Lucani collectae. Marburg 1856.

Genthe: De Lucani vita et scriptis. Berlin 1859.

Thimm: De usu atque elocutione Suetonii. Koenigsberg 1867.

Bagge: De elocutione Suetonii. Upsala 1875.

Trachmann: De coniunctionum causalium apud Suetonium usu Halle 1886.

Joh. Freund: De Suetonii usu atque genere dicendi. Breslau 1901.

Gust. Koertge: In Suetonii de viris illustribus libros inquisitionum capita tria. Halle 1899.

Jos. Aistermann: De M. Valerio Probo Berytio. Bonn 1910.

Caput prius: De vita Persii.

I. Quae sententiae de vitae Persii origine prolatae sint, et qua ratione quaestio sit instituenda.

Satis notum est, una cum Persii saturis vitam poetae tradi, id quod etiam in permultis aliis exemplaribus poetarum Graecorum vel Romanorum quae e medio aevo accepimus, observatum videmus. Quarum vitarum multas quae pertinent ad poetas Latinos, revocandas esse ad Suetonium Tranquillum, atque ex eius libro 'De viris illustribus' a grammaticis antiquitatis exeuntis in codices poetarum translatas esse, iamdudum constat et in vitis Terenti Horati Vergili certissimis testimoniis comprobatur.

Itaque quin eodem e fonte etiam Persii vita fluxerit, diu vix quisquam dubitavit virorum doctorum, quamquam certiora documenta huius opinionis non exstabant. Nam Suetonium in 'Viris illustribus' de Persio quoque egisse, certissime quidem scimus e Scti. Hieronymi Chronicis, ubi quae de poetis Latinis proferuntur, ad Suetonium auctorem redeunt[1]). Sed concedendum est tam exigua esse vitae Persii excerpta ut Hieronymo eandem vitam in manibus fuisse quam nos legimus, ex iis non satis eluceat.

Itaque hanc opinionem ut minus probatam primus reiecit Otto Jahn in Prolegomenis ad Persii saturas, p. 150 sqq., aliamque viam auctoris investigandi omnino adhuc neglectam sibi proposuit, respiciens titulum qui in codicibus vitae praescribitur: *Vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valeri sublata.* Qua inscriptione Valerium Probum Berytium, clarissimum illum grammaticum aetatis Neronianae, qui de edendis et adnotandis permultis poetis Latinis optime est meritus, significari Jahnius contendit. Et probavit hanc opinionem omnibus fere viris doctis, quamquam eam nullis aliis argumentis confirmare poterat, nisi quod et aetas Probi Berytii ad Persii vitam scribendam satis accommodata et ipsius

[1]) Reifferscheid p. 50, Schöne: Hieron. II p. 151, 155.

vitae nostrae diligentia clari grammatici auctoritate non indigna videbatur. Cuius sententiam etiam Reifferscheid in „Quaestionibus Suetonianis“ maxima e parte secutus est.

Attamen gravissimae causae obstant, quominus assentiamur Jahnio. Nam primum Berytium etiam poetis suae aetatis, ut Persio, tractandis operam impertisse, vix credi potest, cum e Suetonii verbis in libello „De grammaticis et rhetoribus[1]“ evidenter appareat eum solos ad vetustiores poetas, Romae tunc iam oblivione obrutos vel etiam contemptos, animum intendisse. Tum, sitne etiam in vitis poetarum componendis versatus, quippe quem idem Suetonius *emendare ac distinguere et annotare, soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditum* tradat, omnino in dubio manet, et mihi quidem vix verisimile videtur, quod cum illa annotandi opera etiam vitarum scribendarum consuetudinem coniunctam esse, quamquam Leo certissime affirmat[2], nondum satis mihi persuasi.

Itaque nunquam defuerunt, qui veterem opinionem restituere conarentur. Inter quos summa laude dignus est Koertge, qui de hac re egit in primo capite „Inquisitionum in Suetonii de viris illustribus libros“ (Halle 1899). Ubi cum accuratissime perscrutatus sit, quam materiam Suetonius omnino in vitas contulerit et quomodo eam exposuerit, facile comprobat vitam Persii cum omnibus Suetonii proprietatibns congruere atque eandem viam expositionis sequi quam ceteras virorum illustrium vitas.

Sed huius argumenti vis, cum controversiae iam finem imposuisse videretur, rursus paulum imminuta est inquisitionibus libri quem edidit Fredericus Leo inscriptum: Die griechisch-römische Biographie nach ihrer literarischen Form (Lpz. 1901). Nam cum qua arte biographi antiqui usi sint inquirens, vitas Graecorum et Romanorum in universum inter se conferat, docet certam quandam formam communem esse omnibus vitarum descriptionibus, quam grammatici Graeci excogitaverint, Latini receperint. Quae forma paululum varians apud cunctos antiquos vitarum scriptores eadem fere est, et eiusdem generis res in omnibus vitis tractabantur atque in Persiana.

[1]) Reiff. p. 118.

[2]) Plautin. Forschungen p. 21 ff.

Has vitarum formas Leo proponit p. 12 sqq. e quibus Persianae (p. 18) hic subicere mihi liceat:

1. Name, Geburtstag, Todestag;
2. Geburtsort, Geschlecht, Todesort;
3. Eltern;
4. Studium;
5. Verhältnisse zu Zeitgenossen;
6. mores, forma;
7. Besitz, Testament;
8. Schriften, Ausgabe, Erfolg.
9. Letzte Krankheit, Lebensalter[1]).

Hoc unum forsitan mirum videatur in hac vita, quod mortis annotatio iam initio posita est. Quem ordinem, quamquam rarius occurrit, etiam apud quosdam biographos Graecos in usu fuisse, Leo docet p. 19.

Igitur dubium non est, quin Valerius Probus si modo vitam Persii scripserit, non longe alia ratione usurus fuerit atque Suetonius. Leo ergo censet non esse cur vitae inscriptioni fides abrogetur.

Sed ne nimis creduli inscriptionis auctoritati confidamus, monet exemplum aliorum scriptorum quibus Valerii Probi nomen praepositum est, quamquam de illo Berytio cogitare nemo audebit, velut in Probi commentario ad Bucolica et Georgica, quem etiam vita poetae antecedit, in Catholicis Probi, in Appendice Probi, alisque scriptis grammaticis. Inde cognosci potest nomen Berytii ut clarissimi grammatici recentiore aetate eiusmodi opusculis ad auctoritatem augendam praefixum neque hos titulos ulla fide dignos esse[2]). .

Itaque licet scripserit Probus vitam Persii, tamen sitne ea quam nos legimus, nullo adhuc argumento comprobatum est. Quae cum ita sint, nihil iam restat, nisi ut e genere dicendi vitae auctorem investigare conemur. Neque plane nova est haec in-

---

[1]) Quae sequitur extrema particula: 'sed mox ut — arbitraretur', Leo reicit ut alienam a genuina vitae stirpe.

[2]) Quarum inscriptionum auctoritatem servare sibi proposuit Steup: De Probis grammaticis (Jena 1871), cum tres grammaticos eiusdem nominis sibi finxit, e quibus secundo, Berytii filio vel nepoti, etiam Persii vitam tribuit. Quas miras inventiones nullo argumento potest affirmare.

quirendi via. Eam enim ingressus est Jos. Aistermann: De M. Valerio Probo Berytio p. 45 sqq. Et certe laudi ei dandum est, quod vitae genus dicendi diligenter perscrutatus est multasque sermonis proprietates optime perspexit. Quod autem Valerium Probum eius auctorem esse iudicat, minime mihi persuasit. Postquam enim vitam Persii neglegentem quandam et asperam dictionem praebere atque in universum ad vulgarem sermonem accedere rectissime observavit, miror quomodo Valerium Probum iisdem loquendi proprietatibus usum esse statuere potuerit, id quod ex illis perpaucis ac minutis eius sermonis reliquiis, quas Aistermann congessit, colligere nullo modo licebat.

Neque magis aliud Aistermanni argumentum sufficere potest. Nam cum quaedam vitae elocutiones potius secundum Graecum morem dictae esse videantur, id praecipuum indicium Probiani stili existimat, propterea quod Valerium Probum, ut hominem Berytium magis Graeca lingua quam Latina usum esse censet!

Nos autem eandem inquirendi viam secuti rem ad alium exitum multo certiorem perducemus. Facile enim est demonstrare omnes elocutionis vitae Persii proprietates quas Aistermann incertis argumentis nixus Valerio Probo vindicandas esse suspicatur, re vera Suetonianas esse. Itaque id erit consilium quaestiunculae nostrae, ut vitae Persii dictionem cum Suetoniana comparemus.

Priusquam autem hac ratione procedamus, occurrendum est gravi errori, quo plurimi virorum doctorum Jahnium et Reifferscheidium secuti decepti sunt. Nam qui illam vitae Persii inscriptionem ita interpretatur, ut vitam e singulis Persii scholiis collectam esse censeat, id quod Jahnius fecit, eum necesse est etiam omnem artem compositionis negare atque omnia sine consilio et ratione consarcinata esse putare. Cui Reifferscheidius recte quidem in eo adversatur, quod certum vitae conscribendae consilium dispici confitetur. Sed de ipsa dictione non longe aliter iudicat, quippe cui eius condicio tam turbata esse videatur, ut „proclive sit vitam e variis scholiis consarcinatam esse suspicari“. Censet igitur mirum in modum „in propatulo esse nos non vitam antiquam sed misella eius excerpta habere“.

In quo quantum a vero aberraverit, vel inde cognoscitur, quod illa forma veterum biographorum, sicut supra diximus, omnibus numeris absoluta atque integra etiam in Persii vita apparet. Ceterum

vix cogitari potest, quidnam in vita tradita desideretur. Nam etiam Terentii et Horatii vitae nihilo uberius enarrantur, ut potius mirum videatur non breviorem esse vitam hominis qui vitam ita in secessu egerit et tam iuvenili aetate obierit. Praeterea minime arte atque eruditione caret vitae compositio, quin etiam clausulas numerosas exstare paulo infra ostendemus. Itaque neque turbata neque excerpta esse potest: immo vero quamquam nonnulli loci corrupti inveniuntur, quibus ut medeatur nemini adhuc contigit, tamen nos in universum genuinam vitae formam habere certissime constat.

Cuius vitae condicio, cum sicut iam supra significavimus, talis sit, ut e duabus partibus constare plerum que putetur, nos quoque communem usum secuti nunc quidem de maiore vitae parte disputemus, tum additamentum quod dicitur seorsum tractabimus. Ceterum quaestionem ipsam ita instituendam esse apparet, ut primum in universam elocutionem, tum in copiam verborum et singulas dictiones inquiramus.

II. De vitae parte priore.

A. De Suetonii et vitae Persii auctore universa elocutione.

Qua nobis proposuimus ratione inquirentes, ad exitum haud ambiguum rei nos perventuros esse eo certius licet sperare, quod Suetonius sermone utitur tam proprio tamque singulari, ut facile cognoscatur. Itaque exordium inquisitionis nostrae inde capiemus, ut paucis verbis praecipuas huius stili proprietates, adhibito maxime libello quem scripsit Joh. Freund „De C. Suetonii Tranquilli usu atque genere dicendi“, adumbrare conemur.

§ 1. Suetoniani stili ambigua est aestimatio. Nam modo offendit nos neglegenti quadam, ne dicam vitiosa dictione, modo existimandus est scriptor elegantissimus et praeter modum expolitus. Cuius rei causa in propatulo est: ut enim multum e rhetorum usu recepit, ita etiam multum indulsit sermoni vulgari.

Sed certe summam virtutem sermonis posuisse videtur in perspicuitate et brevitate. Quo studio inprimis ieiunum illud et asperum scribendi genus quod eius proprium est efficitur. Quod ut manifestius fiat, breviter explicabimus, qua ratione in universum Suetonius sententias formet.

Ut enim longos ambitus verborum omnino evitat, ita brevissimas sententias paratacticas ante alias in usu habet. (De qua re agit Freund I II § 1).

Notabilia huius rei exempla sunt inprimis haec, quibus magis concisum vix quicquam cogitari potest:

Nero 16,2: *Multa sub eo et animadversa severe et coercita nec minus instituta: adhibitus sumptibus modus: publicae cenae ad sportulam redactae; interdictum ne quid in popinis cocti praeter legumina aut holera veniret . . .; afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae; vetiti quadrigariorum lusus . . .; pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatae.*

Tib. 61,2: . . . *animadversum in quosdam ineunte anno novo; accusati damnatique multi cum liberis atque etiam a liberis suis. interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent. decreta accusatoribus praemia, nonnunquam et testibus. nemini delatorum fides abrogata. omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.*

Quas sententias sine ulla coniunctione iuxta se ponere solet atque ita orationem plane dissolutam reddit. (De qua dissolutione Freund I VIII).

Eo magis autem studet verborum collocatione diligenter excogitata continuationem quandam sermonis efficere. Vocem enim maximi soni plerumque primo sententiae loco ponit, qua ratione quamquam egregiam perspicuitatem sermonis assecutus est, tamen nimia aequalitate sententiarum interdum legentes offendit. (Freund I II § 1, VIII § 2). Aliquot exempla proferre operae pretium est:

Cal. 55: *Quorum vero studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur — equiti Romano tumultuanti . . . denuntiavit abiret — Thraeces quosdam Germanis corporis custodibus praeposuit. murmillonum armaturas recidit. Columbo victori . . . venenum in plagam addidit — prasinae factioni ita addictus et deditus, ut . . . —*

Vita Vergilii Reiff. 54: *natus est — praegnans eo mater somniavit — ferunt infantem — accessit aliud praesagium — initia aetatis Cremonae egit — Corpore et statura fuit — possedit prope centies sestertium — parentes iam grandis amisit — inter cetera studia medicinae quoque — egit et causam — poeticam puer adhuc auspicatus — scripsit etiam . . . —*

Alia exempla praebet Freund I II § 1, VIII § 2. Atque praecipue verbo praeposito conexum sententiarum efficit:

Aug. 11: *adicit his Aquilius Niger;*

Aug. 23,2: *vovit et magnos ludos Iovi;*

Aug. 70,2: *auxit cenae rumorem summa . . . penuria;*

N. 34,5: *iunxit parricidio matris amitae necem.*

§ 2. Neminem iam fugiet, quam cognata sit vitae Persii dictio huic generi sermonis. Tota enim composita est e brevissimis sententiis hypotaxi plane omissa. Coniunctiones quoque sententiarum omnino desunt, id quod Reifferscheidio praecipuum argumentum vitae excerptae visum est, nam dicit Quaest. Sueton. p. 396: „non mirabimur sententias quae aperte cohaereant, ut fit in excerpendo, sine coniunctionibus positas esse."

Nos contra iam non dubitabimus, quin concisae hae et dissolutae enuntiationes certam dicendi rationem reddant. Omnes fere incipiunt ab ea voce, cui maximus sonus tribuendus est, saepissime a verbo:

coluit ut patrem — *cognovit per Cornutum* — *Lucanus mirabatur* — *usus est apud Cornutum* —, quae conferas velim cum exemplis supra allatis.

Quo fit, ut in summa dissolutione continuatio sermonis nusquam desideretur. Etiam his locis ratio quae inter sententias intercedit, commodissime subauditur:

hunc ipsum librum imperfectum reliquit. versus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset.

scripserat in pueritia etiam praetextam . . . omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret.

Inspice quaeso exempla quae affert Freund I VIII § 7:

Aug. 71,2: *nec id dubium est. Autographa quadam epistola ait;*

Tib. 24,2: *recepit imperium . . . nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret. Ipsius verba sunt.*

§ 3. Praeterea cum Suetonius communem, ut iam vidimus, usum antiquum secutus totam vitae materiam per certas species tractet, nulla alia arte singulas partes inter se coniungendi utitur, nisi quod primam vocem quasi inscriptionem totius partis proponit (Freund I I § 8). Cuius proprietatis omnes vitae praebent plurima exempla. E vita Augusti aliquot capita protulisse satis habeo:

c. 5: *Natus est Augustus*
c. 8: *Quadrimus patrem amisit* —
c. 9: *Bella civilia quinque gessit* —
c. 19: *Tumultus posthac coniurationesque* —
c. 26: *Magistratus atque honores* —
c. 34: *Leges retractavit* —
c. 62: *Sponsam habuerat adulescens* —
c. 64: *Nepotes tres habuit* —
c. 66: *Amicitias neque facile admisit* —
c. 79: *Forma fuit eximia* —
c. 84: *Eloquentiam studiaque* —

Quacum ratione confer vitam nostram:
natus est — decessit — pater eum — studuit amicos habuit — fuit morum — reliquit — scriptitavit — scripserat — editum librum — decessit autem.

§ 4. Nonnunquam Suetonius gravitatem quandam affert orationi repetitione verbi iam in priore sententia positi:

Verg. Reiff. 61,18—62,4: *tres omnino libros recitavit . . . recitavit et pluribus;*

Cl. 17,3: *currum Messalina uxor carpento secuta est. secuti et triumphalia ornamenta adepti;*

Aug. 94,4: *Atia somniavit . . . somniavit et pater Octavius;*

N. 12,1: *exhibuit ad ferrum quadringentos senatores . . . exhibuit et naumachiam;*

Reiff. 105,20: *docuit primum in Divi Iulii domo. docuit autem et rhetoricam.*

Alia exempla collegit Freund I VIII § 4. Quibuscum conferas vitam Persii: *cognovit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum . . . sero cognovit et Senecam.*

§ 5. Suetonius, postquam magnam partem dissolutis sententiis enarravit, tum sententiam quandam quasi conclusionem ferentem, particula *autem* adiungere solet:

Aug. 20—c. 21: *Externa bella duo omnino gessit. Delmatico etiam vulnera accepit . . . reliqua per legatos administravit . . . domuit autem . . . Cantabriam;*

N. 12,1: *hos ludos spectavit e proscaeni fastigio. munere neminem occidit. exhibuit autem ad ferrum . . .;*

Reiff. 119: *hic non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit. nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit. reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.*
Vita Persii: *decessit autem vitio stomachi.*

§ 6. Est species dissolutionis Suetonianae, quod saepius pronomine demonstrativo aut anaphorico utitur, ubi alii scriptores artioris conexus causa relativum praeferrent (Freund I VIII § 5):
Ter. Reiff. 27,2: *hic cum multis nobilibus familiariter vixit;*
Reiff. 105,9: *huius cognomen per unam litteram scriptum animadverto;*
Reiff. 124,14: *hic Epidius . . . praedicabat;*
Reiff. 118,10: *hos cum diligentius repeteret;*
Reiff. 109,14: *is scripsit praeter grammaticos libros etiam poemata.*

Etiam *idem* hoc sensu non ita raro adhibetur:
Reiff. 116,14: *hic idem inquit;*
Reiff. 123,11: *hunc eundem . . . M. Caelius significat dictasse,*
Reiff. 125,1: *eiusdem uxorem Fulviam . . . acumen stili temptare dixit;*
Reiff. 108,2: *de eodem Asinius Pollio ita tradit;*
Iul. 58,1: *at idem obsessione castrorum in Germania nuntiata . . . Gallico habitu penetravit ad suos;*
Aug. 67,2: *idem Polum ex acceptissimis libertis mori coegit;*
Vit. 2,4: *idem miri in adulando ingenii.*

Eaedem dissolutiones in vita Persii complures exstant:
idem decem fere annis summe dilectus est;
omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret.

§ 7. Quin etiam interdum detrahere ausus est pronomen demonstrativum (Freund I VIII § 5). Et saepissime occurrit detractio pronominis *is*, plerumque quidem accusativi *eum* (Freund I IV).
Galba 20,2: *gregarius miles caput ei amputavit; et quoniam capillo corripere non poterat, in gremium abdidit, mox. . . . ad Othonem detulit;*
Verg. Reiff. 64,7: (Vergilius Vario et Tuccae scripta sua legavit) *edidit autem auctore Augusto Varius sed summatim emendata.*
Quibuscum confer vitam Persii: *versus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus es set. leviter retractavit Cornutus et Caesio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum.*

Notabilem dissolutionem praebet hic quoque locus: *scriptitavit et raro et tarde. hunc ipsum librum imperfectum reliquit.*
Quo de loco infra uberius disputabitur (p. 00).

§ 8. Quantam artem Suetonius saepe in collocandis verbis adhibuerit, etiam inde cognoscitur, quod frequenter seiungit sententiarum membra pluribus verbis interpositis vel etiam duo membra inter se permiscet, sive ad clausulam numerosam efficiendam, sive ad gravitatem locutionis augendam (Freund I V):

Iul. 5: *tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia honor obtigit;*

Iul. 30,1: *adversariis negantibus ullam se de re publica facturos pactionem;*

Iul. 19,2: *qua maxime iniuria instinctus;*

Cal. 26,1: *quo propinquos amicosque pacto tractaverit.*

Eadem ars exstat in vita Persii:

amicitia coepit uti Annaei Cornuti; amicos habuit a prima adulescentia Caesium Bassum poetam e. q. s.; duorum convictu doctissimorum . . .; omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret; editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt.

homines eleganter interpositum est inter infinitivos pendentes, quem usum apud Suetonium quoque invenimus (Freund I V § 2): Reiff. 109,7: *Valerius Cato ingenuum se natum ait et pupillum relictum.*

§ 9. Saepe Suetonius nimiam brevitatem sermonis admisit, interdum etiam contra bonum Latinae elocutionis usum. Huc spectant exempla quae collegit Freund I II § 2 sqq.

Confer quaeso, quam breviter ubique in vitis de corporis et animi statu agat, cum quam plurima membra in eandem sententiam congerere studeat:

N. 51: *Statura fuit prope iusta, corpore maculoso et fetido, subflavo capillo, vultu pulchriore magis quam venusto, oculis caesiis et hebetioribus, e. q. s.*

Ter. Reiff. 33,3: *fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco.*

Reiff. 105,16: *fuisse dicitur ingenii magni, memoriae singularis, praeterea comi facilique natura.*

Vita Persii: *fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis*[1].

[1]) Sequuntur etiam: *fuit frugi pudicus*, quae verba hoc loco valde inepta Leo in quarta satirarum editione optimo iure seclusit. Sed etiam cetera

§ 10. Sed etiam a quadam asperitate sermonis non abhorruit Suetonius, cum sententia iam finita et verbo posito etiam complura membra sequuntur, quae rectius in propria sententia posuisset. Exempla permulta exstant:

Cl. 17,3: *currum eius secuti et triumphalia ornamenta adepti, sed ceteri pedibus et in praetexta, M. Crassus Frugi equo phalerato et in veste palmata;*

Reiff. 117,2—5: *principem locum inter grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque Tiberio et mox Claudio praedicantibus;*

Reiff. 118,7: *legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae.*

Eandem duritiem sermonis invenimus in vita Persii:

ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente.

Quem locum ne quis corruptum esse suspicetur, id quod proclive est in eius modi sententia, obstat clausula numerosa diligentissime expolita:

Arriam uxorem habente - ◡ — | — ◡ — ◡.

Neque apud Suetonium tales elocutiones raro invenies. Insignissimum exemplum hoc fere est:

Verg. Reiff. 57,1—3: *maxime dilexit Cebetem et Alexandrum quem secunda bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione, utrumque non ineruditum, Cebetem vero et poetam.*

Aliis quoque locis vitae Persii auctor quadam paupertate orationis nos offendit. Huc spectant tales sententiae, ubi particula *ut* satis aspere posita est:

amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam ab eo discederet;
sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio;
summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando.

Etiam Aistermann miratur hanc dictionem, quam propter asperitatem Probo vindicandam esse statuit. Sed inspicias velim, quid Freund II XI § 1 dicat de Suetoniano usu particulae *ut*: „*ut* non-

non esse integra ei concedo, cum ordo enarrationis verbis *formae pulchrae* interpositis perturbatus videatur (Gr.-röm. Biogr. p. 18). Sed quod in Persii editione scripsit *famae pulchrae*, minus mihi placet.

nunquam ita positum est, ut vel illustret rem vel more adiectivi describat eam vel etiam restringat, quibus locis *sed* addere solet coniunctioni.“ En exempla:

Iul. 76,2: *binos consules constituit sibi, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit;*

Aug. 89,1: *deinde eruditione etiam varia repletus per Arei philosophi contubernium, non tamen ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet;*

Tib. 66: *quibus quidem diversissime afficiebatur, modo ut ignota cuncta cuperet, nonnunquam eadem contemneret;*

Reiff. 105,21: *docuit autem et rhetoricam, ita ut cotidie praecepta eloquentiae traderet;*

Aug. 78,1: *non amplius quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo spatio expergisceretur;*

N. 26,1: *petulantiam occulte exercuit, sed ut nemini dubium esset;*

Reiff. 113,3: *scholam aperuit, sed ita ut paucis praeciperet;*

Reiff. 113,16: *transiit in Palatium, verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet.*

§ 11. Ac ne clausularum quidem numeros a Suetonio neglectos esse, comprobatum videmus a Freund I X. Sed concedendum est, quamquam in universum clausulas satis bonas construit, eum in hac arte sibi non constare. Nam si, ut exemplum quodvis afferam, vitam Divi Titi inspicies, invenies, praeter plurimas quidem sententiarum conclusiones optimas atque diligentissime expolitas non ita raro quasdam deteriores numeros praebentes, quin etiam interdum accidit, ut locus aliquis clausula numerosa omnino careat. Vix enim quisquam numeros in his conclusionibus deprehendat:

T. 5,1: *dum de navigatione consulit;*

T. 6,1: *atque etiam imperii agere;*

T. 6,1: *censuramque gessit una;*

T. 9,2: *familiari cenae adhibuit.*

Persii quoque vitae auctorem clausulis efficiendis operam dedisse facile est intellegere:

Appia in praediis suis: – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ –;
vivo eo iuvenis decessit: – ⏑ – | ⏑ ⏑ – – | – ⏑;
acriter tunc philosophantium: – ⏑ – | – ⏑ ⏑⏑ | – ⏑ –;
Arriam uxorem habente: – ⏑ – | – ⏑ – ⏑;
imperfectum reliquit: – – – | – ⏑ – ⏑;

ante virum occiderat: – ⏖ – | – ⏑ –;
di ripere coeperunt: ⏖ ⏑ – | – –.

Exquisitam artem praebent etiam hi loci, ubi clausula clausulam sequitur:

non ut caperetur eius ingenio: – – ⏖ | – ⏑ || – ⏑ – | ⏖ –;
pe tenti ut ipse ederet tradidit edendum: – ⏑ – | – ⏑ – || – ⏖ – | – ⏑.

Quem usum Suetonium quoque diligere facile tibi persuadeas:

T. 5,3: *inde contendit expeditissimus:* – ⏑ – | – ⏑ || – ⏑ – | – ⏑ –;

T. 8,4: *praeposu itque complures ex equestri ordine:* – ⏑ – | – – || – ⏑ – | – ⏑ –.

Prope accedunt ad artem Suetonianam hae quoque clausulae minus usitatae:

mori ens annorum fere sex: – – – | – ⏑ – –.

Simillime finitur clausula numeralis monosyllabo eodem

Ter. Reiff. 28,8: *scripsit comoedias sex:* – – – | – ⏑ – –.
extulit intra paucos annos: – ⏖ | – – – – – – –.

Eandem notabilem conclusionem videmus

T. 8,5: *defuncto rum statu ultra certos annos:* – ⏑ – | – – – – – –.

B.

Cum ergo vitam Persii in universum reddere Suetonii rationem atque usum dicendi nobis satis demonstrasse videamur, restat ut etiam in verborum copiam et singulas elocutiones inquirentes vestigia originis Suetonianae indagare conemur.

„A. Persius Flaccus natus est pridie nonas Dec. Fabio Persico L. Vitellio coss., decessit VIII kalendas Dec. P. Mario Afinio Gallo coss.“

De initio vitae iam satis disputatum est p. 5.

„natus est in Etruria Volaterris — decessit[1]) ad octavum miliarium via Appia in praediis suis.“

[1]) Hoc sine dubio ineptissime dictum est. Nam certe non *decessit*, sed *sepultus est ad octavum miliarium via Appia*, qui error ortus esse videtur e praecedentibus verbis *natus est . . . decessit.* Hoc etiam Reifferscheid rectissime perspexit Quaest. Suet. p. 396. Sepulturam autem saepissime Suetonius annotat: Hor. Reiff. p. 48: *humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.* Verg. Reiff. 63: *ossa . . . tumulo condita, qui est via Puteolana intra lapidem secundum*; Reiff. 25: *Ennius . . . sepultus in Scipionis monumento*

Freund II X: „ubi enim locus duobus nominibus notatur, non alterum ex altero pendet, sed utrumque per se ponitur[1])“, velut:
Aug. 5,1: *natus est regione Palati ad capita Bubula;*
Tib. 5,1: *natus est Romae in Palatio.*

„sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus“.
Aug. 17,5: *reliquos liberos non secus ac necessitudine iunctos sibi;*
Aug. 56,3: *Asprenas Nonius artius ei iunctus;*
Aug. 62: *expostulantibus, ut et necessitudine aliqua iungerentur;*
Cal. 25,2: *perductam a marito coniunxit sibi;*
N. 3,1: *cum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione iunctos contulisset;*
N. 35,4: *aut affinitate aliqua aut propinquitate iunctos.*

„pater eum [Flaccus][2]) pupillum reliquit moriens annorum fere sex.“
Cl. 2,1: *infans relictus a patre;*
Reiff. 100,7: *ingenuum se natum ait et pupillum relictum.*

Nomen *pupillus* pro puero a Suetonio saepius adhibitum est: Cl. 23,2; G. 9,1; Aug. 66,4: *pupillari aetate.*

Praeterea illud *reliquit moriens* Aistermann notabile esse arbitratur propter artam coniunctionem verbi finiti cum participio, quam e Graeca dictione κατέλιπε θανών ortam esse iudicat, quod ad Probianum stilum spectare ei videtur (p. 6). Quid vero? nonne aptius Suetonium comparabimus?
Tib. 22: *quos codicillos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset.*

„Fulvia Sisennia[3]) nupsit postea Fusceio equiti Romano“, Ter. Reiff. 33,5: *reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit.*

---

via Appia intra primum ab urbe miliarium; Reiff. 26: *Caecilius . . . mortuus est anno post mortem Enni et iuxta Ianiculum sepultus*; Reiff. 38: *Quintius Atta . . . sepultus via Praenestina ad miliarium secundum*; Reiff. 49: *Ovidius iuxta oppidum Tomos sepelitur.*

[1]) De quo usu egit C. F. W. Müller, Festschrift für Friedländer p. 543 sqq.

[2]) Lectionem traditam servavit Leo in quarta saturarum editione. Buecheler in prioribus editionibus scripsit *pater Flaccum*, in tertia autem, id quod maxime mihi placet, seclusit *Flaccus.*

[3]) Conferas velim schol. VI 6: *se ipsum Persius significat secessisse in Liguriae fines propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quae post mortem prioris viri*

„et eum quoque extulit intra paucos annos“.

Notabilis est parataxis pro hypotaxi. Similiter dicta sunt haec:

Aug. 79,1: *ut modo tonderet, modo raderet barbam eoque ipso tempore aut legeret aut scriberet;*

Aug. 94,7: *ranas silere iussit atque ex eo negantur ibi ranae coaxare.*

Tum particula *quoque* saepissime eodem modo pronomini demonstrativo adiungitur:

Aug. 98,4: *quo haesitante subiecit alium* (versum) *ac de hoc quoque consuluit;*

Vit. 6: *duxit mox Galeriam Fundanam ac de hac quoque liberos tulit;*

Aug. 31,1: *solos retinuit Sibyllinos, hos quoque dilectu habito;*

Aug. 62,2: *cum hac quoque divortium fecit;*

Aug. 63,2: *hoc quoque defuncto;*

Tib. 16,1: *Parthorum legati mandatis Augusto redditis eum quoque adire iussi.*

Sed de voce extulit verba aliquot addere operae pretium est. Nam verbum *efferre* pro sepeliendo, ablativo *funere* non addito, rarissime occurrit in litteris latinis[1]) et positum esse videtur secundum consuetudinem graecam, ubi ἐκφέρειν proprium verbum de re funebri est[2]). Propterea Aistermann hic locutionem Probianam esse suspicatus est. Immo vero a Suetonio hoc sensu usurpatum est Aug. 99,2: *totidem milites praetoriani extulerunt eum in publicum.*

intra paucos annos: *intra* de tempore saepissime a Suetonio usurpatur, velut:

Cl. 17,2: *intra paucissimos dies*; Tib. 57,2; Cl. 38,3: *intra breve tempus.*

---

ibi nupta erat. Itaque O. Jahn nostro loco *mater eius* addidit et Leo scripsit *mater Fulvia Sisennia.* Quod quamquam aptum videtur, tamen etiam illam audacem detractionem, cum Fulviam matrem Persii fuisse facile subaudiatur, Suetonianae brevitati satis bene respondere censeo. Similia exempla collegit Freund I II §§ 5—7.

[1]) Iam a scholiastis qui hunc locum excerpserunt, non intellegebatur. Hoc videmus accidisse in vita Persii cod. Bernensium: *Fulvia Sisennia mater eius nupsit postea Fuscio equiti Romano, qui Persium quoque extulit et nutrivit intra paucos annos* (E. Kurz, Die Persiusscholien nach den Berner Handschriften, Burgdorf 1889 p. 23).

[2]) Confer Lexicon Xenophont. s. v.

„studuit Flaccus usque ad annum XII. aetatis suae Volaterris, inde Romae apud grammaticum Remmium Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flavum".

Verg. Reiff. 55,13—17: *initia aetatis Cremonae egit usque ad virilem togam, quam XV. anno natali suo accepit . . . Cremona Mediolanum et inde paulo post transiit in urbem.*

„cum esset annorum sedecim, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam ab eo discederet".

Verg. Reiff. 58,12: *cum esset annorum sedecim.*

De elocutione *coepit uti* iterum falso iudicavit Aistermann. Nam cum similem dicendi vim exhibeat atque aoristus Graecus, etiam hic vestigium Probiani stili se deprehendisse putat. Sed oratio Suetoniana abundat hac loquendi figura[1], ut pauca exempla tantum hic proferre necesse sit:

Reiff. 4 (in fragmento a certissimis testibus Suetonio tributo): *cum primum homines exuta feritate rationem vitae habere coepissent, seque ac deos nosse;*

Reiff. 11,3: *personis uti primus coepit Roscius Gallus;*

Cl. 21,4: *quod appellare coepit sportulam;*

G. 7,2: *simulatque indigere cibo coepisset;*

Iul. 26,1: *quandoque imperii tempus expleri coepisset.*

Ceterum de hac sententia dictum est p. 13.

„amicos habuit a prima adulescentia Caesium Bassum poetam" e. q. s.

O. 2,1: *a prima adulescentia prodigus ac procax;*

Vit. 3,2: *pueritiam primamque adulescentiam;*

Dom. 1,1: *primae adulescentiae tempus;*

Aug. 68: *prima iuventa infamiam quoque subiit;*

Cl. 3,1: *disciplinis tamen liberalibus ab aetate prima operam dedit.*

Simillima ratione *habere* adhibitum est his locis:

Aug. 62,1: *sponsam habuit adulescens P. Isaurici filiam;*

Cl. 26,1: *sponsas admodum adulescens duas habuit;*

Vit. 6: *uxorem habuit Petroniam;*

Vesp. 1,3: *Polla Nursia patrem habuit Vespasianum.*

[1]) Etiam alii scriptores latini eam non ita raro usurpaverunt, velut Caesar. De qua re vide Thumser, Jahresbericht des Gymnasiums im IX. Bezirke (Wien 1890) et quae propediem exponet Skutsch in Glottae volumine III.

„coluit ut patrem Servilium Nonianum".
Reiff. 108,20: *coluit postea familiarissime C. Sallustium.*

„Lucanus mirabatur adeo scripta Flacci, ut vix se retineret" . . .

Haec locutio *adeo ut*, quae Aistermanno rursus Probi genus dicendi reddere videtur, in iis numeranda est, quae Suetonius maxime in usu habuit. Ex ingenti exemplorum copia pauca subieci:
Hor. Reiff. 44,2: *scripta eius usque adeo probavlt*;
Reiff. 114,6: *adeo inclaruit, ut;*
Reiff. 121,12: *adeoque floruit, ut;*
Aug. 28,3: *urbem excoluit adeo, ut iure gloriatus sit*;
Tib. 27: *adulationes adeo adversatus est, ut*;
Cl. 34,2: *bestiariis adeo delectabatur, ut prima luce ad spectacula descenderet.*

„(ut vix se retineret) recitante eo clamare, quae ille faceret esse vera poemata, sua ludos [2])".
Verg. Reiff. 65,16: *recitante eo ex georgicis*;
Reiff 51,4 (in fragmento vitae Lucani quod Suetonio esse tribuendum quaestiunculae nostrae capite altero demonstrabimus): *recitante <se>[3])* . . .;
N. 23,2: *cantante eo.*

„sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio".
Cl. 35,2: *sero enim remisit*;
G. 20,2: *sero tandem sepulturae dedit.*

capere saepius a Suetonio similiter usurpatur atque *conciliare.*
Reiff. 117,6: *sed capiebat homines cum memoria tum facilitate sermonis.*
Tib. 11,1: *amoenitate et salubritate insulae captus*;
Tib. 44,2: *captus facie ministri*;
N. 20,3: *captus modulatis Alexandrinorum laudationibus.*

Inspice etiam de hoc loco quaestiunculae nostrae p. 13.

---

2) libri: *recitantem clamore* . . . cetera autem in omnibus libris gravissime perturbata sunt. Ex emendationum copia eam recepi quam Leo proposuit in Persii editione.

3) *se* addidit Reifferscheid.

„usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum acriter tunc philosophantium."

Haec figura *usus est convictu* Aistermanno audacius dicta esse videtur, cum vix in ullo alio scriptore Latino inveniatur. Ideo eam sine mora Probo vindicat. Sed simillimam figuram usurpavit Suetonius hoc loco:

Cal. 5: *regum regem . . . convictu megistanum abstinuisse.*

Viros similibus superlativis appositis ornat Suetonius

Iul. 1,3: *deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris*;

Dom. 10,3: *appellasset eos sanctissimos viros.*

„quos unice miratus est et aemulatus."

Reiff. 115,5: *Iulius Hyginus studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrinum;*

N. 35,3: *Poppaeam Sabinam dilexit unice;*

Aug. 62,2: *dilexit et probavit unice.*

„idem fere decem annis summe dilectus a Paeto Thrasea est."

Verbo *diligere* cum frequentissime utatur Suetonius in vitis, quomodo eius vim adverbiis additis augeat, iam duobus antecedentibus exemplis docuimus. Nonnulla etiam addam:

Cal. 4,1: *sic probatus et dilectus a suis;*

Cl. 1,5: *cum Augustus tantopere vivum dilexerit, ut . . .*;

Vesp. 2,1: *aviae memoriam tantopere dilexit, ut;*

Dom. 22: *ardentissime palamque dilexit.*

„ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando."

Peregrinationes virorum illustrium afferre nunquam omisit Suetonius. Velut

N. 19,1: *peregrinationes duas omnino suscepit;*

N. 34,4: *peregrinatione Graeciae;*

Vesp. 4,4: *peregrinatione Achaica.*

quoque hoc loco vim augendi habet aeque atque *etiam*, quod saepe fieri apud Suetonium docet Freund II XIII § 4, velut

Cl. 33,2: *de cuius arte librum quoque emisit;*

Reiff. 105,23: *scholam eius claros quoque viros frequentasse aiunt.*

„cognatam eius Arriam uxorem habente."

Satis iam verborum de hoc loco fecimus p. 13.

„fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis.“

Vide p. 12. Nihil habeo quod adiciam nisi hoc: Illud *sufficiens* in figura *exemplo sufficientis* confert Aistermann cum Graeca voce *ἱκανός*, nimirum ut dictionem Probo vindicet. Sed quamquam hac singulari significatione nusquam occurrit in Suetonii vitis, tamen non licet eam a Tranquilli sermone plane alienam existimare, praesertim cum proxime ad illam significationem accedere videatur hoc loco:

Vit. 13,1: *facile omnibus* (epulis) *sufficiens vomitandi consuetudine.*

„reliquit ca. HS vicies matri et sorori scriptis tantum ad matrem codicillis.“

Ter. Reiff. 33,5: *reliquit ... hortulos XX iugerum;*

Aug. 17,1: *testamentum quod Romae reliquerat;*

Aug. 66,4: *legata vel partes hereditatum relicta sibi;*

Tib. 57,2: *legata quae plebi reliquisset;*

Dom. 9,2: *relictas sibi hereditates.*

codicilli saepissime a Suetonio commemorantur:

Tib. 22: *lectis codicillis, quos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset;*

Tib. 51,1: *veteres quosdam ad se Augusti codicillos protulit;*

Cl. 5: *id solum codicillis rescripsit;*

N. 49,2: *prolatos a cursore codicillos praeripuit;*

O. 10,2: *binos codicillos exaravit ad sororem . . . sed et ad Messalinam.*

„quas heredes fecerat.“

Verg. Reiff. 63,4: *heredes fecit . . . Valerium Proculum;*

Reiff. 89,11: *Passienus Crispus periit per fraudem Agrippinae, quam heredem reliquerat;*

Tib. 76: *heredes aequis partibus reliquit . . . nepotes.*

„scriptitavit et raro et tarde.“

Ex usu verbi frequentativi Aistermann argumentum Probianae originis haurire vult, propterea quod haec verba vulgarem loquendi consuetudinem reddant[1]). Immo vero hoc Suetonianae originis

[1]) Vel potius priscis scriptoribus latinis propria sunt, et qui eos imitati sunt, velut Sallustio, Tacito, aliis. De qua re vide: Wölfflin, Archiv f. Lexicogr. IV, 197—222, Jonas „Zum Gebrauch der frequentativa“ (Posen 1879).

vestigium esse docet Freund II VI § 3: „verba frequentativa saepe posuit Suetonius: *dictitare*, *gestare*, *ostentare*, *actitare*, *captare*, *cenitare*, *coeptare*, *cursitare*, alia, quae tamen vim praecipuam amiserunt.“ Praeterea ipsum *scriptitare* apud Suetonium exstat:
Reiff. 19,1: *scriptitaverunt*.

„hunc ipsum librum imperfectum reliquit“.

Iul. 56,1: *qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit*;
Tib. 47: *quae susceperat, imperfecta post tot annos reliquit;*
Verg. Reiff. 60,2: *ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta transmisit;*
Verg. Reiff. 64,9: *ut qui versus etiam imperfectos sicut erant reliquerit;*
Reiff. 110,20: *librum quem Sulla imperfectum reliquerat, ipse supplevit.*

Etiam coniunctio *hic ipse* occurrit apud Suetonium:
O. 11,1: *his ipsis totidemque verbis.*

Itaque dubium non est, quin haec sententia plane e more Suetoniano dicta sit. Attamen locus magnam difficultatem habet. Nam non habemus, quo pronomen *hunc* referamus, cum titulus libri non commemoretur, quem Suetonius nullo modo praetermittere potuit. Itaque locum detrimentum passum esse in propatulo est.

Sed Aistermann alios viros doctos secutus hic apparere censet vitam eo consilio compositam esse, ut cum ipsa saturarum editione coniungeretur. Tum enim auctor pronomine *hunc* praesentem librum ipsum significare potuit.

Quae opinio et argumentorum copia quam in antecedentibus attulimus, affatim refutata esse videtur, et ne ipsa quidem sufficeret ad locum interpretandum. Nam etiam quae omnino opera Persii superessent, legentes docere oportebat, atque in vita poetae vix omitti poterat[1]). Itaque mihi quidem verisimile non videtur vitae scriptorem non commemorasse Persium nihil aliud scripsisse praeter unum librum satirarum. Quae cum ita sint, lacunam statuam inter has duas sententias: *scriptitavit raro et tarde* — *hunc*

[1]) Simile quiddam in Horatii vita accidisse videtur hoc loco: . . . *domus ostenditur circa Tiburni luculum. venerunt in manus meas et elegi sub titulo eius et epistula prosa oratione, sed utraque falsa puto.* Ubi mirum est, quod propria Horatii opera praetermittuntur. Itaque plurimi viri docti lacunam statuunt ante *venerunt*, operum enumerationem a librariis ut supervacaneam exemptam esse rati.

ipsum librum imperfectum reliquit, ubi scriptum exstiterit Persium unum librum saturarum neque quiquam praeterea scripsisse [1]).

„versus aliqui dempti sunt ultimo libro".

Verg. Reiff. 65,2: *etiam primi libri correxisse principium his versibus demptis.*

„ut quasi finitus esset".

Hunc usum vocis *quasi* Aistermann rursus Probo tribuendum esse statuit dicens: „*quasi* non ad similitudinem quandam exprimendam sed prorsus ad congruentiam. Graeci ita in explicandis rebus ὡς usurpabant". Quocum conferamus, quod Freund II XI § 6, de Suetoniano huius particulae usu annotat: „Saepissime *quasi* eodem modo ac Graece ὡς ita a Suetonio usurpatur, ut res non falsa narretur, sed ut significetur rem in opinione et cogitatione sola subiecti sententiae prioris exstare."

Iul. 55,4: (Divi Iulii oratio) *quae tamen duplex fertur: una quasi priore habita prolio, altera posteriore;*

Iul. 81,4: *libellum quasi mox lecturus;*

Tib. 11,3: *non defuit, qui eum intervenientem et quasi studiosiorem partis alterius convicio incesseret.*

„leviter retractavit Cornutus."

Aug. 34,1: *leges retractavit;*

Reiff. 101,2: *ut diligentius retractarent.*

„Caesio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum."

Aug. 85,1: *volumina fatigatus Tiberio tradidit perlegenda;*

Tib. 23: *perlegendum librum Druso filio tradidit.*

„scripserat in pueritia Flaccus etiam praetextam."

Ter. Reiff. 28,8: *scripsit comoedias sex;*

Reiff. 109,14: *scripsit etiam poemata.*

„omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret."

auctorem esse ut est usitata Suetonio locutio:

---

[1]) Fortasse etiam alia via restat loci emendandi. Optime scribere potuit Suetonius in libello De poetis: *scriptitavit et raro et tarde. saturarum librum ipsum imperfectum reliquit.* Tum grammaticus, qui vitam e Suetoniano libro exemit et in saturarum editionem transtulit, titulum ut supervacaneum delevit.

Tib. 35,1: *matronas prostratae pudicitiae . . . ut propinqui coercerent, auctor fuit;*

Cal. 15,3: *de sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adicerentur;*

Cl. 25,5: *templum collapsum ut reficeretur, auctor fuit.*

Virorum scripta abolita nusquam silentio praetermisit Suetonius:

Iul. 56,7: *feruntur et ab adulescentulo quaedam scripta, ut Laudes Herculis . . .; quos omnes libros vetuit Augustus publicari.*

Aug. 85,2: *tragoediam magno impetu exorsus abolevit;*

Tib. 61,3: *scripta abolita;*

Cal. 34,2: *cogitavit de Homeri carminibus abolendis;*

Dom. 8,3: *scripta famosa vulgoque edita abolevit.*

„editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt“. *continuo* = *statim* identidem ponit Suetonius:

Iul. 7,1: *missionem continuo efflagitavit;*

Aug. 94,11: *ex ea continuo elata suboles;*

Tib. 27: *non dubitaret interpellare ac reprehendere et commutare continuo.*

De verbo *coepi* satis iam dictum est p. 18.

„decessit autem vitio stomachi anno aetatis XXX.“

Cal. 1,2: *annum agens XXXIV. diuturno morbo Antiochiae obiit;*

N. 5,2: *decessit Pyrgis morbo intercutis;*

Vit. 3,1: *decessit paralysi.*

Hic locus Aistermanno rursus Probianum sermonem redolere videtur, propterea quod *vitium* idem significans ac *morbus* „in vulgari maxime et medicorum sermone propagatum sit.“

Sed *morbum* etiam apud Suetonium significat:

Reiff. 127,5: *ob vitium vomicae Novariam rediit.*

III. De additamento vitae Persii.

Iam ventum est ad alteram vitae partem, ad additamentum quod dicitur. De cuius quidem origine multo facilior videtur esse disceptatio; nam in ea diiudicanda virorum doctorum opiniones minus inter se differunt.

Leo Iahnium secutus, illum epilogum e scholiis primae saturae fluxisse censet[1]), propterea quod una sententia ad verbum fere illic quoque occurrit:

cuius versus in Neronem cum ita se haberet „auriculas asini Mida rex habet" in eum modum a Cornuto est emendatus: „auriculas asini quis non habet," ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

schol. 1,121: *Persius sic scripsit: „auriculas asini Mida rex habet," sed Cornutus hoc mutavit ita ponens: „auriculas asini quis non habet," veritus ne Nero in se dictum putaret.*

Mihi vero vitae additamentum fontem scholii fuisse inde apparere videtur, quod et in universum elegantiorem elocutionem praebet *(cuius versus in Neronem cum ita se haberet: Persius sic scripsit)*, et clausulam numerosam efficit (*in se dictum arbitraretur* – – – | – ⏑ – | – ⏑), quam scholiasta neglexit *(putaret)*[2]).

Sed iam Reifferscheid suspicionem Suetonianae originis huius additamenti movit, fragmentum quoddam Tranquilli vitae Probianae esse adiunctum ratus. Et Aistermann quoque secutus est hanc sententiam.

Qua in re quam recte illi viri docti iudicaverint, facili negotio nunc demonstrabimus, Suetonianae dictionis vestigia conquirentes, quorum nonnulla iam Koertge attulit dissertationis suae p. 44.

Et primum quidem velim inspicias hanc sententiam:

„cuius libri principium imitatus est, sibi primo mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis inculpa(ve)rit."

Quae quam e more Suetoniano dicta sit, certe neminem fugiet, qui repetet quae p. 13 locuti sumus de Tranquilli usu sententiis longiora membra agglutinandi. Ac ne clausulas quidem Suetonianas deesse comprobatum videmus. Accedit similium apud Tranquillum dictionum copia:

---

[1]) Vide Leo: Die griech.-röm. Biogr. p. 18 Anm. 3, et eiusdem Persii editionem quartam.

[2]) Licet vitam Horatii conferre, ubi simillimo modo de duobus locis dubiis erratum esse postea demonstrabimus.

mox apud Suetonium idem significat quod *tum* (Freund II III § 3).
Saepius etiam *primo* opponitur:
Hor. Reiff. 44,4: *ac primo Maecenati mox Augusto insinuatus;*
Aug. 83,1: *ad pilam primo folliculumque transiit, mox nihil aliud quam . . .;*
Tib. 7,3: *primo concorditer vixit, mox dissedit;*
Cl. 27,1: *quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit.*

Praeterea conferas velim:
Reiff. 115,1: *rescripsit non sine insectatione studiorum.*
insectatio etiam saepius occurrit:
Reiff. 107,10: *ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit;*
Cal. 23,1: *non contentus hac Augusti insectatione.*

Suetonii proprius est usus participii futuri, quod saepissime pro sententia finem consiliumve exprimente ponit (Freund I II § 3):
N. 43,3: *procurrit quasi praecipitaturus se in Tiberim;*
Reiff. 64,4: *scrinia desideravit crematurus ipse.*

inculpare quidem nusquam, sed *culpare* non ita raro invenitur: Iul. 72: *cum ob id culparetur;* Vesp. 10: *in quo merito culpetur.*

Neque in ceteris desunt argumenta originis Suetonianae. Spectemus haec verba primae additamenti sententiae:

„. . . lecto Lucili libro decimo vehementer saturas compōnĕre īnstĭtŭĭt“[1]).

N. 57,2: *vehementer adiutus ac vix redditus.*
Verg. Reiff. 59,17: *Aeneida particulatim componere instituit;*
Reiff. 116,5: *libellos ineptiarum componere instituit;*
Aug. 84,2: *instituit recitare omnia;*
Vit. 2,5: *primus C. Caesarem adorare ut deum instituit.*

Initium autem additamenti

„sed mox ut a schola magistrisque divertit“,

Reifferscheid nec non et Aistermann a compilatore fragmento praepositam esse censuerunt, ut duas partes inter se conecteret. Quibus assentiri non licet, cum haec ipsa sententia ita indiciis Suetoniani sermonis abundet, ut de eius auctore dubitari non possit.

[1]) Buecheler nescio quomodo praefert lectionem in Gudiano solo traditam: *componere studuit.* Nostra autem praeter locos supra allatos etiam eo confirmatur, quod meliores numeros claudentes praebet, qui in clausula *compōnĕrē stŭdŭit* diaeresi interimuntur.

De usu particulae *mox* iam protulimus quod scripsit Freund II III § 3, ubi *mox* idem significare atque *tum* exemplis comprobatur. Etiam coniunctionibus temporalibus *mox* saepius praefigitur:

Verg. Reiff. 58,20: *mox cum res Romanas incohasset, ad Bucolica transiit;*

Vesp. 5,3: *mox cum aedilem eum C. Caesar iussisset . . .*

Praeterea illud *sed* saepissime a Suetonio usurpatur, cum ad novam materiam narratio transit, etsi sensus contrarius non significatur:

Reiff. 114,12: *sed cum . . . et doceret multos ac nobiles, dimissa repente schola transiit ad Q. Sexti philosophi sectam.*

Itaque multa capita ab hac particula incipiunt:

Iul. 81,1: *Sed Caesari futura caedes prodigiis nuntiata est;*

Aug. 61,1: *Sed laetum cum atque fidentem et subole et disciplina domus fortuna destituit;*

Cl. 9,1: *Sed ne discriminibus quidem caruit;*

Cl. 35,1: *Sed nihil aeque quam timidus atque diffidens fuit;*

Cal. 54,1: *Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissime exercuit.*

Atque etiam conclusio sententiae cum tam bonos numeros praebeat: *scho la magistrisque divertit:* – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑, obstat ne quis de compilatoris opera cogitet.

Totam ergo partem Suetonio vindicandam esse satis demonstrasse videmur. Quid vero? Si idem auctor utramque vitae partem scripsit, qui fieri potuit, ut exitu Persii iam perscripto ad vivum rursus poetam reduceret narrationem et tum demum de eius satirarum scribendarum studio quaedam traderet, quae suo loco proferre omiserat?

Itaque Koertge p. 44 hanc particulam vitae ab imperito excerptore e conexu sententiarum evulsam et in finem translatam esse suspicatur.

Nusquam autem invenitur locus unde sublata esse possit. Nam ante *hunc ipsum librum . . .*, ubi lacunam signavimus (cf. p. 22), illud additamentum ingeri non posse perspicuum est propter continuationem sermonis, et alia lacuna certe in vita non exstat.

Attamen haec quaestio facile potest diiudicari, si universam Suetonii consuetudinem conferimus. Velut in vitae Terentii fine

haec enarrat (cf. Leo l. l.): „4. Tod, Lebensalter; 5. äußere Erscheinung; 6. Familie, Nachlaß; 7. Schätzung bei der Nachwelt.“

In vita Vergilii: „7. Lebensalter, Tod, Testament, Ausgabe der Aeneis; 8. obtrectatores.“

In vita Divi Iulii sequuntur post mortem, testamentum funus (c.c. 82—85) etiam quattuor capita (Leo: „Todesgedanken, Alter, Apotheose, Schicksal der Mörder“).

Unde cognoscere licet Suetonium vitas non obitu finire, sed epilogum addere solere. Quibus in additamentis plerumque quidem de iis tractat, quae ad mortem viri illustris spectant (de funere, de testamento, de operibus poetarum, quomodo posteri eos aestimaverint). Tamen interdum accidit, ut eo congerat, quae sive neglegentia sive consulto ante proferre omiserat. Sic enim in vita Neronis, postquam vita Caesaris iam ad finem perducta est (c. 50-c. 51), ad vivum imperatorem redit auctor, et quae de corpore et animo, de moribus, de religione ac pietate eius tradere poterat, nunc demum uberrime profert (c.c. 52—56). Eundem ordinem invenimus in vitis Domitiani, Galbae, Othonis. In universum facile cognoscitur Suetonium tradita dispositionis forma satis libere uti et nonnunquam ordinem suo arbitrio commutare. Etiam in Persii vita testamentum et heredes in priorem locum transtulit, atque de libri editione et de aestimatione hominum iam antea egit. Quae omnia cum in epilogum conferre soleat, aliam quandam annotationem epilogi loco addidit et paulo uberius Persii saturarum scribendarum studium in fine vitae tractavit.

Caput alterum: De vitis Lucani.

I. De fragmento Suetoniano.

A. De Suetonio eius auctore.

Lucani poetae duae vitae quae quidem maioris nomenti sunt, nobis traduntur, utraque cum sua stirpe scholiorum coniuncta. Altera commentis quae dicuntur Bernensia praefixa mutila est, altera „Adnotationibus super Lucanum" addita, quantum perspici potest, integra. In uno tantum codice, Bernensi 370 = C, ambae vitae coniunctae leguntur, ita ut vita ex Adnotationibus sumpta praecedat, tum sequatur nullo indice praemisso mutilata.

Hanc Suetonio Tranquillo tribuendam esse iam priorum saeculorum viri docti dictione vitae et narrandi ratione adducti sunt ut suspicarentur, velut Jos. Scaliger in editione Catal. p. 265 et Casaubonus in ed. Sueton. (Paris. 1620). Verum accuratius in eam rem demum Weber inquisivit in programmate Marburgiensi: „Vitae Annaei Lucani collectae," qui maximam partem quaestionis ad exitum peregit.

Quod enim vel ipsum certissimum testimonium putandum est Suetonianae originis, in Persiana autem vita, ut supra vidimus (p. 3), minus nobis expediebat, Hieronymi auctoritatem dico, hic maximo cum fructu adhibetur. Nam Hieronymum in Chronicis quae de Lucano profert, e vita nostra sumpsisse, apparet inspicientibus quod dicit ad Olymp. CCX[1]): *M. Annaeus Lucanus Cordubensis poeta in Pisoniana coniuratione deprehensus bracchium ad secandas venas medico praebuit.* Quocum conferas velim quae sunt in Lucani vita[2]): *bracchia ad secandas venas praebuit medico.*

Deinde profert Weber illam ieiunam dicendi brevitatem in summa rerum copia[3]), consuetudinem narratiunculas lepidas ioco-

---

[1]) ed. Schoene p. 155, Reiff. p. 50 annot.

[2]) Reiff. p. 52.

[3]) Quae res etiam Jos. Scaligeri acumen non effugit.

sasque afferendi versusque addendi, curiositatem res longius remotas captandi. Qua in re quam recte iudicaverit, ut doceamus, satis habemus revocasse in memoriam quae dicta sunt huius commentationis p. 7 sq. et a Koertgio p. 23 sqq.

Tum etiam in singulis verbis bene agnovit Weber stilum Suetonianum, idque tanta locorum copia collecta comprobavit, ut iam non dubitari possit de Suetonio vitae auctore.

Quae quamquam ita sunt, facere tamen non possumus, ut in Weberi disceptatione acquiescamus. Nam Weber non modo vitam excerptam atque mutilatam existimat, id quod in propatulo est, sed etiam librariorum culpa hic illic corruptam glossisque conspersam atque inquinatam. Quae opinio quantum a vero discrepet, apparet, si consideramus nusquam deprehendi posse interpolatoris manus, immo omnia optime respondere mori Suetoniano. Quod ut demonstremus, paulo diligentius perscrutabimur singulas sententias, materiam a Webero collectam etiam augentes.

„. . . prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine, dein civile bellum quod a Pompeio et Caesare gestum est . . . recitavit, ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit dicere: *Et quantum mihi restat ad Culicem!*“

Cal. 57,4: *certatim experimentum artis darent;*

Cl. 3,1: *disciplinis liberalibus ab aetate prima non mediocrem operam dedit ac saepe experimenta cuiusque etiam publicavit;*

Dom. 9,1: *dedit magna liberalitatis experimenta.*

quinquennale certamen occurrit etiam Aug. 98,5; N. 12,3; Dom. 4,4; *ludi quinquennales* Aug. 18,2; Aug. 5.

„Hic initio adulescentiae cum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longissime cognovisset . . .“

Suetonii usum pronominis *hic* exposui exemplis collectis p. 11.

„. . . revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus atque etiam quaestura honoratus.“

Reiff. 95,6: *hic* (Annaeus Seneca) *sub Claudio relegatus post octennium revocatus est;*

Tib. 21,1: *statim ex itinere revocatus est.*

cohors amicorum a Suetonio commemoratur N. 5,1; N. 14; O. 10,2; G. 7: *receptus in cohortem amicorum.*

Figuram *atque etiam* Suetonius ponere valde amat. Cuius rei pauca exempla sufficiant: Reiff. 61,35; Reiff. 124,1; Aug. 52; T. 8,1.

Ceterum licet conferre Tib. 3,1: *quae familia dictatura etiam ac magisterio equitum honorata;*
Tib. 9,2: *quas ob res . . . triumphalibus ornamentis honoratus.*

„non tamen permansit in gratia. siquidem aegre ferens <quod Nero se>[1]) recitante subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu recessisset, neque verbis adversus principem neque factis exstantibus posthac temperavit, adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum crepitu ventris hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronuntiarit: *Sub terris tonuisse putes.*"
Reiff. 115,18: *permansit tamen in statu servitutis;*
Tib. 13,1: *in tali statu biennio permansit;*
Cl. 13,1: *nec tamen expers insidiarum usque quaque permansit;*
Dom. 10,1: *neque in abstinentiae neque in clementiae tenore permansit.*
Cl. 41,1: *aegre perlegit refrigeratus saepe a semet ipso.*

„Sed et famoso carmine cum ipsum tum potentissimos amicorum gravissime proscidit."
Tib. 28: *adversus famosa de se ac suis carmina.*
Aug. 13,2: *foedissimis conviciis coram prosciderunt;*
Cal. 30,2: *assidue proscidit;* Tib. 37,2: *gravissime coercuit.*

„ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis exstitit, multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans, ut Caesaris caput proximo cuique iactaret."

ad extremum: de hac locutione a Suetonio non raro usitata agit Freund l. l. II II § 5. Occurrit autem Iul. 35,1; Aug. 19,1; Tib. 38; aliis locis.
N. 26,2: *seditionibus pantomimorum signifer simul et spectator aderat.*
Iul. 26,2: *altiora iam meditans et spei plenus;*
Tib. 69: *addictus mathematicae plenusque persuasionis cuncta fato agi.*

[1]) Haec verba Reifferscheidius sagaciter supplevit.

Cal. 38,4: *usque eo extendens ut.*
Cal. 45,2: *in hoc mimo praeter modum intemperans.*
Aug. 25,4: *crebro illa iactabat:* σπεῦδε βραδέως;
Tib. 28: *adversus convicia firmus ac patiens subinde iactabat in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere;*
Dom. 15,3: *hunc delatum nec infitiantem iactasse se quae providisset ex arte.*

„Verum detecta coniuratione nequaquam parem animi constantiam praestitit. facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces matrem quoque innoxiam inter socios nominavit, sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam."

detecta coniuratione ad verbum occurrit Iul. 14,1; N. 36,1.
Iul. 17,1: *inter socios Catilinae nominatus.*

„Impetrato autem mortis arbitrio libero codicillos ad patrem de[1]) corrigendis quibusdam versibus suis exaravit, epulatusque largiter bracchia ad secandas venas praebuit medico."
O. 10,2: *binos codicillos exaravit ad sororem consolatorios et ad Messalinam;*
N. 52: *libellos quasi a cogitante atque generante exaratos.*
Aug. 89,1: *in quibus et ipsis praestabat largiter;*
Dom. 4,5: *populo dedit largissimum epulum;*
Dom. 21: *convivabatur frequenter ac large.*

„Poemata eius etiam praelegi memini, confici vero ac proponi venalia non tantum operose et diligenter, sed et inepte quoque."

Haec sententia a plerisque viris doctis[2]) nescio quomodo corrupta iudicatur, quorum alii verba *poemata — quoque* omnino delenda censent, id quod Weber in omnibus editionibus veteribus factum esse testatur, alii, sicut Weber ipse, ad miras et ineptas coniecturas confugerunt. Equidem nihil video quod delendum aut corri-

[1]) Codices habent *corrigendis quibusdam versibus*, quam lectionem etiam Reifferscheid recepit. Sed mihi rectius Salmasius *de* addidisse videtur, cum dativus vix ferri possit. Licet etiam conferre Reiff. 111,6: *cum codicillos Memmi ad Pompei uxorem de stupro pertulisset.*

[2]) Velut a Webero et Genthio.

gendum sit. Immo omnia plane e more Suetoniano dicta esse his exemplis demonstrabimus:
Reiff. 100,8: *siquid ipsi latine composuissent praelegebant.*

Quae ipse vidit etiam saepius Suetonius profert: Dom. 12,2: *interfuisse me adulescentem memini.* Similiter Cal. 19,3: *avum meum narrantem puer audiebam.*

confici, quod verbum hoc loco multis paulo difficilius ad intellegendum est visum. certe significat *librum ad publicandum parare.* Atque eadem significatione hoc verbum etiam saepius occurrere in litteris Latinis, e Thesauro linguae Latinae facile comprobatur, velut:

Plin. N. h. XIII 69: *privata monumenta linteis voluminibus confici coepta sunt aut ceris;*

Cic. Rosc. 7: *diligenter conficiamus tabulas;*

ibid: *tabulae sunt in ordinem confectae;*

Cluent. 82: *confecit tabulas diligentissime;*

Caes. Gall. I 21,1: *tabulae litteris Graecis confectae.*

Atque etiam Suetonius hoc sensu verbum ponit

Iul. 20,1: *instituit ut populi diurna acta conficerentur ac publicarentur.*

vero[1]) apud Suetonium saepissime occurrit neque tam opponendi quam augendi vim habet:

Ter. Reiff. 29: *post paucos vero versus;*

Verg. Reiff. 57: *Cebetem vero et poetam;*

Reiff. 105,22: *docuit ita ut cotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero . . .;*

Cal. 51,1: *ad minima tonitrua conivere, ad vero maiora proripere se e strato.*

proponi venalia: Tib. 34,1: *ne opera quidem pistoria proponi venalia*[2]);

N. 16,2: *cum antea nullum non obsonii genus proponeretur.*

Neque minus notabilem Suetonii elocutionem deprehendimus in ultimis verbis *non tantum . . . sed et — quoque*, cum hae particulae saepius coniunctae legantur apud Tranquillum:

[1]) Weber *vero* corrigendum statuit in *veno*, qua de re verba addere iam non necessarium existimo.

[2]) Apparet Usenerum in Comm. Bern. in eo erravisse, quod Cod. Bern. I. secutus *venalia* omittit.

Aug. 33,2: *non tantum duas fabellas sed tertiam quoque;*
Aug. 66,1: *non tantum virtutes ac merita sed vitia quoque ac delicta.*

sed et Suetonius frequentissime ponit pro *sed etiam:*
Iul. 76,1: *non honores modo nimios recepit, sed et ampliora passus est;*
Aug. 33,1: *non diligentia modo summa sed et lenitate;*
Aug. 38,2: *non tribunatum modo sed et praefecturas.*

Alia Aug. 45,2; Cl. 27,2; Cl. 28.

Ac ne hoc quidem argumentum silentio praetermittamus, quod cunctae vitae sententiae more Suetoniano[1]) clausulis numerosis finiuntur neque igitur usquam suspicionem interpolatoriae manus movere licet:

quinquen nali certamine: – – – | – ⏑ –
comparans ausus sit dicere: – ⏑ – | – – – | – ⏑ –
lon gissime cognovisset: – ⏑ – | – – – ⏑
quaes tura honoratus: – ⏑ – | – ⏑
per mansit in gratia: – ⏑ – | – ⏑ –
siquidem aegre ferens: – ⏑ – | – ⏑ –
re frigerandi sui causa: – ⏑ – | – ⏑ – | – –
indic to senatu recessisset: – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑
factis exstantibus posthac temperavit: – – – | – ⏑ – | – – – ⏑ – ⏑[2])
gra vissime proscidit: – ⏑ – | – ⏑ –
proximo cuique iactaret: – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑
con stantiam praestitit: – ⏑ – | – ⏑ –
hu millimas devolutus preces: – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑ –
mortis arbitrio libero: – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑ –
versi bus suis exaravit: – ⏑ – | – ⏑ – ⏑
praebuit medico: – ⏑ – | ⏑⏑ –
praelegi memini: – ⏑ – | ⏑⏑ –
pro poni venalia: – – – | – ⏑ –
sed et inepte quoque: ⏑⏑ ⏑ – | – ⏑ –

B. Quo in Lucanum animo Suetonius vitam composuerit.

Sed cum his omnibus argumentis recte perpensis, quin totum vitae fragmentum Suetonio sit vindicandum neque ulla insint interpolationis vestigia, nemo iam dubitare possit, restat ut etiam alium de hac vita errorem Webero auctore divulgatum refutemus. Nam

[1]) Inspice huius opusculi p. 14.

[2]) Hanc breviorem formam veriorem putat Skutsch: *exstanti bus posthac temperavit:* – – – | – ⏑ – ⏑

omnibus viris doctis persuasisse Weber videtur vitam ab infesto in Lucanum auctore scriptam Suetoniumque inter eos esse numerandum qui Lucani gloriae obtrectare studebant[1]).

Cui sententiae quamquam in eo assentiendum est, quod Suetonius Lucanum non ex omnibus partibus laudat, tamen apertum est Weberum longe a vero recessisse censentem: „Suetonium aperte iniquiorem in Lucanum quam ut fidem ubique mereatur, multa in deterius vertentem exaggerare, vera cum falsis miscentem Lucani vitia investigare, ingenium eius, animum, mores, totum vituperare hominem." Harum rerum enim omnium nihil in vita invenitur, neque quicquam aliud Lucano opprobrio vertit Suetonius, nisi quomodo in Pisoniana coniuratione se gesserit. Ubi quamquam Lucanum etiam acerbius damnat quam Tacitus[2]) tamen eum solo poetae obtrectandi studio flagravisse non iudicabis, si morem Suetonii historici recte perspexeris, qui saepissime sola fabulandi curiositate adductus narratiunculas iocosas maledicasve hinc illinc congerit, neque facile quicquam boni malique omittit, quo legentium animos delectari posse speret. Itaque ne iis quidem hominibus omnino parcit, quos potissimum laudare studet, velut Augusto, Vespasiano, Horatio[3]). Econtra ne in Caligula quidem et Nerone neglegit, quaecumque laude digna de iis narrari poterant.

Quid ergo praeterea de Lucano poeta aestimaverit Suetonius, omnino ignotum est, neque ex iis quae traduntur, perspici potest. Nam etiam quae in fine vitae leguntur verba, Lucani opera venisse a bibliopolis *non tantum operose et diligenter sed et inepte quoque* instructa, ne quis putet invidiosum in Lucanum animum prodere[4]): non poetam carpit auctor iam tum mortuum, sed nimiam editoris curam.

Ac ne hic quidem locus sufficit ad Suetonii in Lucanum in-

---

1) Notum est de Lucani poesi antiquis temporibus in duas diversissimas partes iudicatum esse. Alii enim poetam summis laudibus efferebant, velut Martialis et Statius, alii eius tumorem rhetoricum acerbissime carpebant, velut Petronius et Quintilianus.

2) cf. Tac. Ann. XV 56.

3) Inspicias velim Aug. 13; Aug. 68 sqq.; Vesp. 16 sqq. Etiam quae de Horatio proferuntur famosae narratiunculae, non licet Suetonio abrogare, de qua re infra disputabimus in appendice huius libelli.

4) Id quod Körtge statuit p. 22.

vidiam probandam: . . . *ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit dicere: „Et quantum mihi restat ad Culicem*[1]*)!*“ Nam quo sensu Suetonius verba *ausus sit dicere* posuerit, ignoramus propter lacunam praecedentem. Plurimi autem viri docti opinati sunt eum Lucani arrogantiam significare, qui quamquam multo minore aetate ad poeticam se applicasset quam Vergilius, tamen iam opus Culice etiam praestantius se perfecisse iactaret[2]).

Sed etiam alia ratione Lucani verba interpretari possumus, vel potius cogimur, si consideramus, quae Statius, ardentissimus Lucani admirator atque aemulator, de Culice iudicet silv. I praef.: . . . *et Culicem legimus et Batrachomachiam etiam agnovimus, nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Hic ergo poeta Culicem sicut Batrachomachiam aestimat opusculum levioris generis, illustrissimi poetae Musa vix dignum. Eadem ratione cum Lucanum quoque Culicem aestimavisse pro certo liceat habere, necesse est illa praefatione eum aetatem et initia sua ita cum Vergilio comparavisse, ut etiam Culici Vergilii operi primogenito et vilissimo fere sibi esse cedendum diceret. Id autem Suetonius ut nimiam modestiam vituperat, et quod vocabulo *ausus sit* utitur, significat Lucanum de suis ipsius operibus iusto fastidiosius iudicasse.

---

[1]) Quod haec verba in praefatione quadam scripta esse dicuntur, Lucani silvarum praefationem significari non inepte conicitur, cum Statius quoque, qui Lucanum imitatus silvas composuit, praefationes eis praemiserit. Accedit, quod Statius quoque in prima praefatione opera sua cum Culice comparat, atque etiam in genethliaco Lucani, silv. II 7,73, Lucani scripta enumerans Vergilium respicit: *haec primo iuvenis canes sub aevo | ante annos Culicis Maroniani.* Quod autem Statius praefationes suas pedestri sermone composuit, rursus Lucani exemplum secutus esse videtur. Nam illa verba, quae Reifferscheid duorum hexametrorum partes existimat: *et quantum mihi restat — Ad Culicem*, potius dicta esse videntur prosa oratione numeris instructa: – ∪ – ∪ ∪ ∞ *restat ad Culicem.* Sic fere Vollmer censuit ad Stat. silv. p. 11 not. 1.

[2]) Sic etiam Francken ed. Luc. p. 258 verba intellegit, qui locum interpretatur: *Quantum mihi restat ad annum, quo Vergilius Culicem composuit.* Quae verba cum Lucanus edidisse videatur circiter ad Neronis quinquennale certamen anno LX. institutum, id est XX. fere aetatis annum agens, Vergilius autem Culicem scripsisse in Donati vita tradatur *cum esset annorum XVI*, Ribbeck App. Verg. p. 19 hunc numerum mutandum censuit in *XXVI*.

Ergo nullo modo comprobari potest Suetonium infesto in Lucanum poetam animo vitam conscripsisse.

II. De Vaccae vita Lucani.

A. Quid viri docti de eius origine existimaverint.

Transeo ad alterius Lucani vitae exemplar. Haec ut initio dictum est, traditur una cum „Adnotationibus super Lucanum", quae sicut Weber demonstravit, redeunt ad Vaccam Lucani expositorem qui dicitur. Eidem auctori etiam vitam praepositam vindicare, non est cur dubitemus.

Vaccam ad vitam componendam bonis et uberibus fontibus usum esse, nemo negare potest, cum plurima quae tradit, aliunde confirmentur[1]). Quos inter fontes etiam Suetonii vitam fuisse apparet e quibusdam locis similiter enarratis. Hos post Weberum et Koertgium tertium hoc loco compono:

Suetonius:	Vacca:
prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine, dein civile bellum, quod a Pompeio et Caesare gestum est . . . recitavit.	*quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus, et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversus complures ediderat poetas.*
ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis exstitit multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans ut Caesaris caput proximo cuique iactaret, e. q. s.	*hoc factum Caesaris iuvenili aestimans animi calore speransque ultionem a coniuratis in caedem Neronis socius assumptus est, sed parum fauste. deceptus enim a Pisone et consularibus aliisque praetura perfunctis illustribus viris, dum vindictam expetit in mortem irruit.*
impetrato autem mortis arbitrio libero . . . bracchia ad secandas venas praebuit medico.	*nam sua sponte coactus vita excedere venas sibi praecidit.*

Quibus argumentis commotus iam Casp. Barth (ad Stat. silv. II 7,1) „totam Vaccae vitam scriptum Suetonii initio fuisse, posteris autem saeculis foede effarctum et contaminatum" iudicare

---

1) Genthe p. 7.

non dubitavit. Quae opinio non mediocriter eo confirmatur, quod haec vita eadem ratione composita est atque omnes Suetonianae. Quod ut melius perspiciatur, proferam vitae formam quam Leo exposuit p. 13:

1. Name, Eltern, Großvater, Geburtstag.
2. Kindheit, prodigia.
3. Verkehr mit Nero, Ämter.
4. Feindschaft mit Nero, dabei Gedichte erwähnt, Verschwörung.
5. Tod, Lebensalter.
6. Katalog der Werke und Einschätzung.

Itaque Leo quoque fundamenta huius vitae ad Tranquillum redire censet. Quam stirpem Suetonianam a scholiastae opera secernere primus conatus est Koertge, qui temporum annotationes, parentum, generis, patriae enarrationem optimo iure Suetonianae vitae vindicat. Sed in hoc uno erravit, quod omnia quae amicum in Lucanum animum prodant, a Suetonio originem trahere non posse iudicat. Nam hunc nequaquam Lucano obtrectandi studio flagravisse, immo etiam eius opera plurimi aestimavisse iam supra cognovimus. Attamen nemo potest dubitare, quin Vacca multo maiore studio Lucani virtutes praedicaverit, atque etiam contra Suetonium ipsum partes eius egerit. Itaque minime verbo tenus Suetonii vitam recepit, sed quae flagitia ille poetae in coniuratione Pisoniana opprobrio vertit, omnino silentio praetermittit, totamque culpam in Neronem ac socios coniurationis transfert, quin etiam nonnullis locis Suetonii narrationem additamentis ex suo ingenio formatis auxisse videtur.

Quo ex opusculo, quae Suetonii propria sunt, secernere, cum plurima eius stili indicia supra congesserimus, non ita difficile erit, si eodem modo in singulas sententias inquiremus et e genere dicendi auctorem cognoscere conabimur.

Clausulas numerosas, quibus in huius modi quaestionibus solvendis semper multum confisi sumus, in hac quoque vita non raras atque satis bonas exstare neminem potest fugere. Quam rem paucis exemplis explicare satis habebo:

il lustrem inter suos: - ⌣ - | - ⌣ -;
regi onis eiusdem et urbis: - ⌣ - | - ⌣ - ⌣;
clarissi mos viros non nullius ingenii: - ⌣ - | - - | - ⌣ - | ⌣⌣ ∞:
hodi eque perduret eius memoria: - ⌣ - - ⌣ - | - ⌣ ⌣⌣ ∞;

cognomen huic inditum apparet: - ⏑ - | - ⏑ - | - ⏑;
non valuit educari: - ⏑ ⏑⏑ | - ⏑ - ∞;
credo decretis: - ⏓ - | - ∞;
fa ma sui impleturum cresceret: - ⏑ - | - - - | - ⏑ -,
quae clausula sane minus laudanda est.

mundi aleretur urbe: hi numeri etiam deteriores sunt. Aliis quoque locis dubii numeri inveniuntur, velut:

Hesiodo refertur; futurum significantes; sacerdotium etiam accepit auguratus.

Sed cum neque locos clausulis numerosis carentes a Suetoniana consuetudine plane alienos esse supra demonstraverimus, et grammaticos quoque posteriorum temporum sicut Vaccam numeris efficiendis operam dedisse notum sit, hoc argumentum ut minus validum in nostra disquisitione omnino praetermittemus.

Qua autem fide res proferantur in hac vita, interdum considerare non abs re erit. Nam Suetonium historicum quamquam in omnibus rebus fidem non meretur, tamen ad meras fictiones et ineptos errores minus esse proclivem pro certo stat.

B. Vitae elocutio comparatur cum Suetoniana.

Ac primum quidem ea excutiemus, quae iam Koertge Suetonio tribuit:

„M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam ex provincia Baetica Hispaniae interioris Cordubensem equitem Romanum . . . matrem et regionis eiusdem et urbis Aciliam nomine Acilii Lucani filiam, cuius cognomen huic inditum apparet. natus est III nonas Nov. C. Caesare Germanico II L. Apronio Caesiano coss. . . . octavum mensem agens Romam translatus est.

periit pridie kal. Maias Attico Vestino et Nerva Siliano coss., XXVI aetatis annum agens. . . .“

In quo quam recte suspicatus sit Koertge perlucidum fiet ex his exemplis:

Vesp. 1,3: *Polla Nursia patrem habuit Vespasianum . . . fratrem senatorem;*
Reiff. 89,3: *uxores habuit duas, primam Domitiam deinde Agrippinam.*
Aug. 7,1: *infanti cognomen Thurinum inditum est;*
Dom. 10,3: *quod servis nomina Magonis et Hannibalis indidisset.*

Vesp. 4,1: *inde in Britanniam translatus;*
Reiff. 24: *Q. Ennius a Catone quaestore Romam translatus habitavit in monte Aventino.*
Iul. 88: *periit sexto et quinquagesimo anno;*
G. 23: *periit tertio et septuagesimo aetatis anno;*
Vit. 18: *periit cum fratre et filio anno vitae septimo quinquagesimo*

Quid autem praeterea e Suetonio derivatum sit, nunc quaeramus.

„(M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam . . . equitem Romanum) illustrem inter suos notum Romae et propter studium vitae quietioris quod sequens magis a turba recedebat minus latebat."
Iul. 34,2: *professus inter suos;*
Aug. 61,1: *quibus moribus atque fortuna inter suos egerit;*
Ner. 40,3: *inter suos dicere.*

Particulae *et-et* coniunctae a Suetonio frequentissime ponuntur, id quod mirum videatur in scriptore dissolutae orationis tam studioso (cf. Freund I VIII § 11). In hac quoque vita etiam saepius occurrunt, ita mox paulo inferius: *et regionis eiusdem et urbis.*

Alia exempla sunt haec:
Aug. 3,1: *Octavius pater a principio et re et existimatione magna fuit . . . honores et adeptus est facile et egregie administravit;*
Aug. 1,1: *et vicus . . . iam pridem Octavius vocabatur et ostendebatur ara:*
Aug. 19,2: *et ipsum et senatum aggredi destinarant.*

Item Aug. 45,2; Aug. 66,3; saepissime.

De praepositione *propter* confer T. 7,1: *suspecta in eo erat libido propter exoletorum spadonumque greges propterque insignem reginae Berenices amorem.*

Adiectivi gradum comparativum amat Suetonius non comparandi sed augendi causa ponere (Freund II II § 2): Reiff. 29,1: *quod erat contemptiore vestitu.* Ita nostro loco: *propter studium vitae quietioris.*

Quibus verbis quam recte scriptor Annaei Melae mores depinxerit, cognoscimus ex iis quae ab aliis de eodem traduntur. Nam Seneca rhetor, Annaei Melae pater, eum fratribus etiam ingenio proponit[1]) atque laudat eius animum vitae remotae studiosum[2]).

[1]) Sen. praef. controv. II § 3: *erat tibi quidem maius ingenium quam fratribus tuis*; similiter praef. controv. V.

[2]) praef. controv. II: *quia video animum tuum a civilibus officiis abhorrentem et ab omni ambitione aversum.*

De eodem dicit Tacitus Ann. XVI 17: *petitione honorum abstinuerat.*

Sed quae de Seneca philosopho dicuntur verba: *clarum per omnes virtutes virum*, dubitari potest, sintne Suetoniana. Nam male quadrant ad ea quae Suetonius alio loco de Neronis praeceptore censet[1]): N. 52: *a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor (Neronem averterat) quo diutius in admiratione sui detineret.*

Neque si elocutionem ipsam perscrutamur, rem ut diiudicemus nobis continget. Nam quamquam voce *clarus* apud Suetonium saepius locutiones formantur, tamen haec exempla non ita comparata esse, ut inde Suetoniana nostri loci origo demonstretur, minime me fugit:

Reiff. 125,9: *ex eo clarus;*

N. 4: *non minus aurigandi arte clarus quam ornamentis triumphalibus;*

G. 3,3: *clarior studiis quam dignitate;*

Tib. 3,1: *familia clara insignibus viris.*

Itaque incertum est utrum haec sententia a Suetonio originem trahat an a scholiasta sit addita.

Etiam magis interpolationis suspicionem movere licet in hac locutione: *quod sequens magis a turba recedebat minus latebat.* Est enim dictio tumida ineptaque, quam siquis in Suetonii libris conquirere laboret, oleum et operam perdat. Itaque non dubitabimus genuinae vitae eam abrogare.

„(matrem habuit et regionis eiusdem et urbis Aciliam nomine Acilii Lucani filiam) oratoris opera apud proconsules frequentis et apud clarissimos viros non nullius ingenii".

Dom. 10,5: *ob id neque apud ducem neque apud milites ullius momenti esse potuisse;*

Cal. 34,2: *Vergilium . . . ut nullius ingenii minimaeque doctrinae carpebat;*

Reiff. 101,12: *uterque eques Romanus multique ac varii et in doctrina et in re publica usus.*

„adeo non improbandus <fuit>[2]), ut in scriptis aliquibus hodieque perduret eius memoria."

---

[1]) Quod etiam observavit Koertge p. 41.

[2]) *fuit* cum Reifferscheidio inserendum censeo, quae coniectura non mediocriter eo confirmatur, quod bonam clausulam efficit: *improbandus fuit* - ◡ - | - ◡ - .

Tib. 21,2: *Augustum morum eius diritatem adeo improbasse, ut . . .:*
Reiff. 123,3: *illustres professores et quorum memoria aliqua exstet;*
Reiff. 118,8: *durante adhuc ibi antiquorum memoria;*
Cl. 19: *quae constituta hodieque servantur;*
G. 1: *tanta pullorum suboles provenit, ut hodieque ea villa ad Gallinas vocetur;*
T. 2: *quae hodieque praefertur.*

De frequentissimo usu figurae *adeo ut* actum est ad Persii vitam p. 19.

„sed in patria sua non valuit educari“. . .

valere coniunctum cum infinitivo Suetonii proprium est:
Cl. 26,2: *nec durare valuit quin de condicionibus continuo tractaret;*
Cl. 18,2: *fragminibus panis ita infestatus est, ut aegre evadere in Palatium valuerit;*
Iul. 79,2: *neque ex eo infamiam regii nominis discutere valuit.*

educare idem significans quod Germanice *aufziehen* saepius apud Suetonium invenitur. Confer enim
T. 2: *educatus est in aula cum Britannico;*
Aug. 94,3: *ne quis illo anno genitus educaretur;*
Cal. 11: *se natricem populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educavisse.*

„. . . fatorum credo decretis, ut id ingenium quod orbem fama sui impleturum cresceret, et in domina mundi aleretur urbe.“

Hac sententia nihil profertur nisi inania verba, quorum dictio certe a Suetoniana abhorret[1]). Inprimis figuram *fatorum decretis* Suetonium adhibuisse vix puto verisimile, nam ubicumque de Fato i. e. de numine divino loquitur, semper singulari utitur: Tib. 69: *cuncta fato agi;* Vesp. 5,2: *haud dubia signa futuri cuiusque fati;* T. 9: *principatum fato dari;* Aug. 19,2: *quasi fato debita sibi dominatione.*

Aliter res se habet his locis: Cl. 43: *sibi quoque in fatis esse;* Vesp. 4,5: *esse in fatis, ut. . . .*

Neque in ceteris ulla vestigia Suetoniana occurrunt. Propterea ne dubitemus sententiam e vita Suetoniana secludere. Cuius rei

---

[1]) Casp. Barth *domina mundi* propter tumorem etiam pro glossa habuit.

etiam testimonium est, quod omissis illis verbis sermo nullo modo interrumpitur, immo vel artius haec inter se cohaerent:

sed in patria sua non valuit educari. octavum enim mensem agens Romam translatus est.

Tum narratur prodigium de Lucano infante, quod Koertge vel propterea Suetonio abrogat, quod propensi in Lucanum animi sit testimonium. Nos autem solum sermonem spectantes fabellam diligentissime excutiemus, qua in re nos commodius progressuros esse puto, si partem posteriorem prius tractabimus:

„. . . cunas infantis quibus ferebatur, apes circumvolarunt osque insedere complures, aut dulcem iam tum spiritum eius haurientes aut facundum et qualem nunc aestimamus, futurum significantes.“

Haec enim particula abundat indiciis sermonis Suetoniani. Vel illud membrum particula *que* adnexum prodit Suetonii stilum. Quae locutio quamvis trita sit, tamen apud nullum fere scriptorem tantum viget quantum apud Suetonium. Cuius rei exempla cum quodlibet caput Suetonii librorum plurima praebeat, pauca subiciam:

Iul. 4,1: *a praedonibus captus est mansitque apud eos;*

Iul. 5: *reditum in civitatem confecit habuitque et ipse contionem;*

Iul. 11: *Alexandrini regem expulerunt resque vulgo improbabatur.*

Deinde respice quaeso quam prope usus participiorum *aut haurientes — aut significantes* ad morem Suetonii accedat, cui inprimis proprium est participia saepissime pro integris sententiis ponere. (De quo usu agit Freund I II § 3.) Simillime dicta est haec quoque sententia in vita Vergiliana:

Reiff. 55,13: *arbor consecrata est summa gravidarum ac fetarum religione et suscipientium ibi et solventium vota.*

facundum autem respondet sententiae *qualem nunc aestimamus*, concinnitate orationis neglecta. Quae proprietas latissime patet apud Suetonium. Confero haec exempla:

Cl. 25,1: *libertinos ingratos et de quibus patroni quererentur;*

Aug. 2,3: *equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit;*

Aug. 12: *Nursinos grandi pecunia et quam pendere nequirent multatos.*

Alios locos collegit Freund I VII § 5.

Etiam verbum *significare* in prodigiis enarrandis saepissime usurpatur:

Aug. 94,10: *fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare quam ut..*
Iul. 61: *(equum) quem natum apud se, cum haruspices imperium orbis significare domino pronuntiassent.*

Similiter Aug. 34,2; G. 8,2.

Etiam coniunctio verborum *iam tum* saepius extat apud Suetonium:

Aug. 100,4: *ambulationes in usum populi iam tum publicarat;*
N. 7,1: *Annaeo Senecae iam tum senatori in disciplinam traditus;*
Dom. 1,3: *ut iam tum qualis futurus esset ostenderet.*

Adde quod in plerisque Suetonii vitis de prodigiis uberrime agitur. E quorum ingenti copia hic proferam quaedam quae similiter enarrata sunt:

Aug. 97,1: *aquila cum saepius circumvolavit, transgressusque in vicinam aedem super nomen Agrippae ad primam litteram sedit;*
Cl. 7: *evenitque ut primitus ingredienti cum fascibus forum praetervolans aquila dexteriore umero consideret.*

Quae omnia si accurate perpendimus, vix facere possumus, quin totam hanc partem Suetonio vindicemus.

Iam convertamus nos ad priorem partem:

„ac ne dispar eventus in eo narraretur eius qui in Hesiodo[1]) refertur, cum opinio hunc[2]) non dissimilis maneret . . ."
Hic multo difficilius erit de origine iudicare. Nam Suetoniana vestigia hic illic quaedam exstare videntur. Velut comparari possunt haec:

Iul. 14,1: *quanta eos in posterum a plebe Romana maneret invidia;*
Tib. 67,2: *quanta se acerbitas et infamia maneret;*
Dom. 15,3: *quis ipsum maneret exitus.*

Sed nescioqui inanis dicendi tumor offendit nos in his sententiis, qui longe alienus videtur a ieiuna Suetonii dictione, velut hoc: *ac ne dispar in eo eventus narraretur.* Itaque hic scholiastae operam exstare arbitror, qui simplicia Suetonii verba amplificare et pleniora reddere studuit.

[1]) Eadem fabella etiam de Pindaro narratur (Westermann: Biographi Graeci minores p. 93) et de Platone (Westermann p. 382), de Hesiodo nullo alio loco occurrit nisi hic. Eandem Focas in vita Vergiliana ad Vergilium transfert (Reiff. 69,25).

[2]) Sic Reifferscheid, cum codices habeant *tunc.*

„<a>[1]) praeceptoribus tunc eminentissimis est eruditus."
Iul. 4,1: *Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret;*
Aug. 70,2: *summa tunc in civitate penuria ac fames;*
Vit. 7,1: *adiutum putant T. Vini suffragio tunc potentissimi.*

De superlativis nominibus propriis appositis egi ad Persii vitam p. 20, atque exempla collegi.

„eosque intra breve temporis spatium ingenio adaequavit."

De usu particulae *que* verba iam fecimus. Haec duo exempla etiam addam ad rem melius illustrandam:
N. 16,1: *excogitavit porticus easque sumptu suo exstruxit;*
Reiff. 31: *non obscura fama eamque ipse auxit.*

Ceterum licet revocare vitae Persii sententiam *et cum quoque extulit intra paucos annos*, et quae alia exempla congessimus p. 17.

Propter cognatam rationem temporis annotandi inspicias praeterea hos locos:
Tib. 51,2: *intra breve tempus afflixit;*
Dom. 3,1: *intraque breve tempus reduxit;*
Iul. 26,1: *eodem temporis spatio;*
Aug. 22: *in multo breviore temporis spatio.*

„una vero studentes superavit profectibus."

De frequentia particulae *vero* iam supra dictum est p. 33 *profectus* eodem sensu atque hic occurrit
N. 20,1: *donec blandiente profectu prodire in senatum concupiit.*

„declamavit et Graece et Latine cum magna admiratione audientium."

De particulis *et—et* supra affatim dictum est (p. 40).

Eadem res a Suetonio etiam saepius de viris illustribus narratur:
Verg. Reiff. 61,5: *pronuntiabat autem cum suavitate tum lenociniis miris;*
Reiff. 121,1: *Cicero etiam Graece declamitavit, Latine vero senior quoque.*

Cum fine autem sententiae confero haec:

---

[1]) addidit Reifferscheid.

Reiff. 29,3: *dicitur cetera percucurrisse non sine magna Caecilii admiratione.*

Praeterea iterum licet respicere vitam Persii: *cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione.*

„ob quod puerili mutato in senatorium cultum et in notitiam Caesaris Neronis facile pervenit et honore vixdum aetati debito dignus iudicatus est.“

Elocutio a Suetoniana nequaquam aliena est:

et—et iam novimus (p. 40).

ob hoc et similes locutiones Suetonius amat. Velut Iul. 8,4: *ob haec;* Tib. 70,2: *ob hoc;*

Aug. 94,7: *ob hoc Apollinis filium existimatum;*

N. 5,2: *notatus ob haec;* Dom. 2,1: *ob haec correptus;* Dom. 17,1: *ob haec admissus;* Reiff. 102,2: *ob hoc repudiatus.*

Etiam illud *facile pervenit* Suetonianum stilum sapere mihi videtur:

Iul. 80,4: *facile tempus et locum praetulerunt;*

Aug. 3,1: *honores adeptus est facile;*

O. 2,2: *facile summum inter amicos locum tenuit;*

Dom. 11,2: *facile perfecerat.*

vixdum aetati debito:

Aug. 19,2: *quasi debita sibi fato dominatione;*

Cal. 46: *spolia Capitolio Palatioque debita;*

Reiff. 61,10: *Aeneidos vixdum coeptae tanta exstitit fama;*

T. 6,2: *vixdum triclinio ingressum confodi iussit;*

O. 1,3: *filiam vixdum nubilem.*

Eadem particula invenitur Aug. 8,1; Tib. 44,2; Vit. 8,1.

Sed multis qui vitam legebant, mirum atque inauditum est visum, quod Lucanus puerilem in senatorium cultum mutavisse dicitur. Itaque fuerunt, qui pro *puerili virili* scribere vellent, quibus nemo assentietur.

Neque Weber rectam interpretationis viam invenit, qui respiciens ad ea quae antecedente sententia de poeta narrantur, „honoris causa propter ingenii virtutes“ Lucano adulescentulo ornamenta senatoria tributa esse coniecit. Nam *ob quod* certe coniungendum est cum *facile pervenit,* neque vero cum ablativo absoluto.

Quid autem significaverit auctor, recte cognovit H. Genthe[1]. qui Augusti edictum[2]) comparat a Suetonio relatum Aug. 38,2: *Liberis senatorum, quo celerius rei publicae assuescerent, protinus virili toga*[3]) *latum clavum induere et curiae interesse permisit.*

Hinc, cum sciamus Annaeum Melam equitem Romanum senatoriae dignitatis[4]) fuisse, intellegitur Lucanum filium una cum toga virili senatoria ornamenta sumpsisse, id quod nostro quoque loco significatur[5]).

„gessit autem quaesturam in qua cum collegis more tunc usitato munus gladiatorium edidit secundo populi favore.“

Cuius sententiae initium a Suetonio provenisse non potest, vel popterea quod is, sicut supra vidimus, eandem rem sic enarravit: *atque etiam quaestura honoratus.*

Ceterum sententia digna est, in quam accuratius inquiratur. Vel res ipsa Suetonium auctorem ostendit, qui munera edita semper eximia diligentia et eisdem fere verbis enumerat:
Tib. 7,1; Tib. 37,3; Cal. 26,5; Cl. 21,4; Cl. 24,2;
Cal. 18,1: *munera gladiatoria aliquot edidit;*

[1]) Genthe l. l. p. 18.

[2]) Inspicias Mommsen, Röm. Staatsrecht, III³ p. 470.

[3]) Excidisse videtur *sumpta,* id quod Ihm coniecit.

[4]) Genthe l. l. p. 9.

[5]) Sed concedendum est figuram: *mutare in senatorium cultum* satis mire esse dictam neque usquam alibi in litteris Latinis occurrere (inspicias Thes. l. l. s. v. cultus). Tamen quin ornamenta senatoria intellegenda sint, id est latus clavus et calceus senatorius, dubium esse non potest. Nam suo iure Suetonius l. l. solum de lato clavo loquitur, quippe qui inprimis nobilium senatorum filios significet, qui calceum patricium iam a pueris ferebant. Lucanum autem, ut plebeia gente ortum, non patricium, sed senatorium calceum una cum tunica laticlavia accepisse necesse est, qui plebeis obtingebat, ubi in senatum recipiebantur. Idem intellegitur ex Cic. Phil. XIII 28: *mutavit calceos, pater conscriptus repente factus est.* Hinc apparet *calceos mutare* certam fuisse dicendi figuram, quae idem significaverit quod *senatorem fieri.* Atque hic forsitan pateat via loci nostri sanandi, si sagacem coniecturam sequimur, quam Cichorius vir clarissimus benigne mihi suppeditavit: *puerili mutato in senatorium calceum.* Nec mediocriter eo probatur, quod clausula *senatorium cultum* - ᴗ - - ᴗ mutatione nilo fit deterior: *sena torium calceum* - ᴗ - - ᴗ ∞. Quam locutionem librarii sequentium saeculorum, cum rem minus bene intellegerent, in *cultum* corrigendam putaverunt.

T. 7,3: *munus edidit apparatissimum largissimumque.*

Simillime dicta sunt haec:

Cl. 2,2: *gladiatorio munere quod simul cum fratre edebat;*

Iul. 10,1: *ludos etiam cum collega et separatim edidit.*

Figuram *secundo populi favore* licet conferre cum his locis:

Cl. 21,5: *cum essedario . . . magno omnium favore indulsisset rudem;*

T. 5,2: *tanto militum gaudio ac favore;*

Cl. 7: *praesedit spectaculis acclamante populo.*

more tunc usitato:

Cl. 21,1: *spectacula non usitata modo sed et commenticia.*

Lucani temporibus re vera morem fuisse, ut quaestores munera gladiatoria ederent, etiam alia via comprobari potest. Quem morem primus imperator Claudius instituit atque etiam lege sanxit[1]); cf. Suet. Cl. 24,2: *collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit;* Tac. Ann. XI 22: *Iisdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorium per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur.* Quae lex sub Nerone abolita est: Tac. XIII 5: *multoque arbitrio senatus constituta sunt: ne designatis quidem quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset.* quod traditur ad annum LIV. Sed his ex verbis apparet solum necessitatem ludorum remissam esse, cum quaestores sua sponte morem usque in Lucani tempora observavisse videantur, qui cum anno XXXIX. natus, LXV. mortuus sit, decem fere annis post ad quaesturam pervenit.

„sacerdotium etiam accepit auguratus."

Vesp. 4,2: *duplex sacerdotium accepit;*

G. 8,1: *ornamenta triumphalia accepit et sacerdotium triplex.*

„equidem hactenus tempora habuit secunda."

equidem traditur, quae particula hac ratione posita, sive sententia Suetonio est tribuenda sive scholiastae, ferri vix potest et corruptelae suspicionem movet. Nam cum iam apud Plautum et Terentium[2]) non nisi rarissime cum secunda vel tertia persona coniungatur, posteris temporibus solam ad primam restringitur[3]).

---

[1]) **Mommsen**, Röm. Staatsr. II³ 534.

[2]) **Hand** Turs. II 422, **Skutsch**, Hermes XXXII p. 95.

[3]) **Jordan**, Kritische Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache p. 314 sqq.,

Hunc autem particulae usum neque scholiastam sibi ad imitandum proposuisse verisimile est et Suetonius eam omnino evitasse[1]) videtur.

Quae cum ita sint, coniectura usus quam Skutsch vir doctissimus mihi proposuit, hoc loco *et quidem* scribendum esse persuasum habeo. Quo facto non mediocre argumentum Suetoniani stili assecuti esse videmur, nam *et quidem* innumerabilibus locis exstat apud Suetonium. Quamquam concedendum est eam significationem, quae nostro loco invenitur, non plane respondere usui Suetoniano: nunquam enim incipit sententiam, sed eam continuat tantum atque restringit. Velut

Aug. 62,2: *Liviam Drusillam matrimonio Tiberi Neronis et quidem praegnantem abduxit;*

Tib. 45: *feminarum quoque, et quidem illustrium, capitibus illudere;*

Aug. 53,3: *patres in curia salutavit et quidem sedentes;*

Iul. 69: *non cessit tumultuantibus, et nonam quidem legionem cum ignominia missam fecit.*

Ne in reliquis quidem certa Suetoniani sermonis indicia exstant. *hactenus* quamvis frequenter occurrat apud Suetonium, tamen uno tantum loco eodem sensu ponitur:

Cal. 22,1: *hactenus quasi de principe, reliqua ut de monstro narranda sunt.*

Ceteris autem locis usurpatur pro *adeo:*

Reiff. 100,20: *hactenus imitati, ut . . .;*

N. 31,2: *domum . . . hactenus comprobavit, ut . . . diceret;*

N. 34,1: *hactenus gravabatur, ut.*

Accedit quod sententia nihil novi affert et vix desideratur in Lucani vita. Itaque scholiastae eam vindicandam esse credo.

„quae sequuntur autem mutata invidia et odio Neronis ipsi exitium domesticis luctum miserabilem attulerunt."

Haec sententia cum ab antecedente seiungi non possit, certe

qui hanc particulam in cotidiano sermone etiam liberius usurpatam contendit, propterea quod Apuleius in Metamorphosibus omnibus personis apponere eam solet. Quem in hac quoque re scriptores priscae latinitatis imitatum esse verisimilius mihi videtur.

[1]) Uno tantum loco in libris invenitur, sed sine dubio scribarum mendo orta: Aug. 11: *Pansae equidem.*

ab eodem auctore fluxit. Atque etiam propter tumidam elocutionem de Suetonio cogitare non licet. Qua de causa hic scholiastae operam incipere arbitror, qui Suetonii de Pisoniana coniuratione narrationem Lucani auctoritati minus utilem ita commutavit, ut poetam suum ab omnibus opprobriis purgaret et pro Suetonii sententiis inania verba poneret.

„cum inter amicos enim Caesaris tam conspicuus fieret profectus <eius>[1]) in poetica, frequenter <Nero> offendebatur[2]).“

Quam sententiam originem non trahere a Suetonio, iam dictione minus expolita comprobatur. Certe singulae locutiones: *inter amicos Caesaris* et *profectus* Suetonianum sermonem revocant in memoriam, cum in fragmento legamus *a Nerone cohorti amicorum addictus*, atque etiam quae in Vaccae vita dicuntur: *una vero studentes superavit profectibus*, Tranquillo esse tribuenda statuerimus. Nostro autem loco hae locutiones bono sensu omnino carent, unde apparet ab inepto librario ease genuina vita haustas esse.

„quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus, et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversus complures ediderat poetas et tres libros quales videmus.“

Haec sententia tam turbata est, ut iam non tota intellegatur. Tamen dilucidum est hic eadem referri quae initio fragmenti Suetoniani leguntur, et cum etiam eadem verba apud utrumque scriptorem occurrant, iam supra conclusimus scholiastam haec e Suetonii vita hausisse.

Sed etiam quae a scholiasta traduntur desunt apud Suetonium, ea aliis e fontibus fluxisse non opus est putare, cum locum Suetonianum lacunis inquinatum esse sciamus. Immo iis notis ad vitam mutilam supplendam uti non ineptum erit. Itaque sitne *Orpheus* hoc loco etiam a Suetonio inter Lucani scripta enumeratus, potest quaeri.

Certissime autem contendam verba *tres libros quales videmus* in fragmenti lacunam esse transferenda, quae quin de Lucani Bello civili sint dicta, dubium esse non potest, si spectamus paulo

[1]) adiecit Reifferscheid.

[2]) Sic Reifferscheid. *frequenter offendebat* Weber et Hosius.

inferius *reliquos VII Civilis Belli libros* esse commemoratos. Quibus verbis additis fragmenti locum sic restituere conor:

... *prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine, dein civile bellum quod a Pompeio et Caesare gestum est, (componere instituit) et tres libros quales videmus, recitavit* ...

Quod autem Vacca tradit Lucanum in Neronis laudibus coronatum esse, a Suetoniana narratione recessit. Nam Suetonius etsi in Lucani vita de hac re nihil profert, tamen illo certamine Neronem ipsum coronam auream sumpsisse persuasum habuit, id quod tradit N. 12,3: *Neronem ipsum carminis Latini coronam iudicum consensu concessam sibi recepisse*[1]).

Scholiastam vero non dignum puto cui nimiam fidem habeamus. Nam Lucanum in Nerone ipso laudando eius invidiam excitavisse aut iudices Caesare invito coronam poetae obtulisse satis inepte inventum mihi videtur[2]).

„quare inimicum sibi fecerat imperatorem."

Hanc sententiam ab eodem auctore provenisse apparet atque priores, atque etiam elocutionis Suetonianae vestigia frustra quaeres.

„quo ambitiosa vanitate non hominum tantum sed et artium sibi principatum vindicante, interdictum est ei poetica, interdictum est etiam causarum actionibus."

Certe multa in hac sententia e Suetonii usu dicta sunt:
Reiff. 11,23: *principatum sibi artificii vindicabant;*
Reiff. 108,15: *Eratosthenes qui primus hoc cognomen sibi vindicavit;*
Aug. 16,14: *Lepidum summas sibi partes vindicantem;*
Tib. 50,2: *partes sibi aequas potentiae vindicantem;*
T. 5,3: *quasi Orientis sibi regnum vindicare temptasset.*

non tantum — sed et: quam Suetonii proprietatem iam in vita mutilata cognovimus, ubi etiam alia exempla permulta contulimus (p. 33).

Adde quod res optime confirmatur, cum Tacitus quoque inimicitias Lucani Neronisque eodem modo depingat Ann. XV 49:

---

[1]) Sitne hoc verum, dubium est. Tacitus enim tradit Ann. XIV 21: *Caesarem priore lustro nonnisi eloquentiae coronam reportavisse,* Ann. XIV 4: *altero cantus Latini.*

[2]) Sic etiam censuit Genthe p. 23.

Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare vanus adsimulatione.

Itaque multa suadent, ut hanc quoque sententiam Suetonianam putemus. Sed concedendum est minus certe perspici, ubi locus sit ingerendus in Suetonii vitam.

Quae sequuntur, in universum orta esse videntur e Suetonii narratione, cum nihil novi proferat, sed iis quae Lucani gloriae obstarent praetermissis legentes ad miserandum poetam compellere studeat excerptor [1]).

„hoc factum Caesaris iuvenili aestimans animi calore speransque ultionem a coniuratis in caedem Neronis socius assumptus est, sed parum fauste. deceptus enim a Pisone et consularibus aliisque praetura perfunctis illustribus viris dum vindictam expetit, in mortem irruit. nam sua sponte coactus vita excedere venas sibi praecidit . . .“

Rursus licet observare illum orationis tumorem scholiastae, ut iam vidimus, proprium, a Suetonio longe alienum, imprimis in his verbis: *dum vindictam expetit, in mortem irruit.*

Ventum est ad extremam vitae partem, quam Koertge merum Vaccae additamentum iudicat [2]):

„(. . . periitque pridie Kal. Maias . . . XXVI aetatis annum agens) non sine iactura utilitatis cum patriae, quae tantam immature amisit indolem, tum studiorum quoque.“

Primum quidem illud *non sine* Suetonii proprium est. Exempla praebet Freund I II § 4. Velut

Iul. 2: *desedit apud Nicomedem non sine rumore prostratae regi pudicitiae;*

Reiff. 29: *cetera percucurrisse non sine magna Caecilii admiratione.*

cum—tum non minus in usu habet Suetonius quam *et—et:*

Reiff. 61: *pronuntiabat cum suavitate tum lenociniis miris;*

Reiff. 117,6: *capiebat homines cum memoria rerum tum facilitate sermonis;*

Reiff. 121,17: *narrationes cum breviter ac presse tum latius et uberius explicare;*

Iul. 75,1: *cum in administratione tum in victoria bella civilis.*

[1]) Locos Suetonii et Vaccae inter se opposuimus p. 37.

[2]) Koertge p. 41.

amittere: Reiff. 16: *parentes iam grandis amisit;* Eodem sensu Cl. 26,1; Iul. 1,1; Aug. 8,1; N. 6,3; saepius.

immature: Cal. 8,3: *de cuius immaturo obitu.*

quoque augendi vim habet, de qua consuetudine iam dictum est ad vitam Persii p. 20 et ad mutilatam p. 33.

Huius igitur sententiae auctorem Suetonium esse vix quisquam negare potest, praesertim cum simile quiddam de imperatoris Titi morte dicatur:

T. 10,1: *morte praeventus est maiore hominum damno quam suo.*

Atque etiam quae sequuntur, abundant indiciis Suetonianae originis:

„reliqui enim VII belli civilis libri locum calumniantibus tamquam mendosi non darent . . .“

locus hic idem significat quod *argumentum*, qui usus petitus est ex arte oratoria[3]). A Suetonio quoque eadem significatione usurpatur:

Reiff. 126: *egit et causas, verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur nec alium in ulla causa locum quam perorandi.*

. . . „qui tametsi sub vero crimine, non egent patrocinio: in isdem dici quod in Ovidi libris praescribitur potest: emendaturus si licuisset erat.“

Iul. 52,2: *quasi plane defensione ac patrocinio res egeret;*

N. 35,2: *occidit Octaviam sub crimine adulteriorum impudenti falsoque;*

Tib. 36: *sub poena perpetuae servitutis;*

Cal. 48,2: *sub mortis poena.*

Etiam quod obtrectatores poetae inducit ac refutat, sapit consuetudinem Suetonianam. Simillima enim ratione in Vergilii quoque vita usus est:

Reiff. 66: *Asconius Pedianus . . . pauca admodum ei obiecta proponit, sed hoc ipsum crimen sic defendere assuetum ait: »cur non illi quoque eadem furta temptarent?«*

Praeterea vitis Suetonianis saepissime locos ex aliis scriptoribus ad verbum excerptos esse insertos, iam supra exemplis allatis demonstravimus.

3) Cf. Quint. V 10,20: *locos appello sedes argumentorum, in quibus latent et ex quibus sunt petenda.* Uberius egit de hac re Ernesti, Lexicon rhetoricum s. v

„exstant eius complures et alii, ut Iliacon Saturnalia Catacthonion Silvarum X, tragoedia Medea imperfecta, salticae fabulae XIV, epigrammata, prosa oratione in Octavium Sagittam et pro eo, de incendio urbis, epistolarum ex Campania . . .“

Aug. 85,2: *unus liber exstat scriptus ab eo. exstat et alter epigrammatum*;

Tib. 2,3: *exstant et feminarum exempla;*

Cal. 8,3: *exstat et Augusti epistula.*

Aug. 85,1: *multa prosa oratione composuit;*

Cl. 1,5: *vitae memoriam prosa oratione composuit;*

Dom. 4,4: *prosa oratione Graece Latineque.*

Accedit quod eadem curiositate Suetonius in Vergilii et Persii vitis praeter poetarum opera celeberrima etiam omnia scripta minora, quae feruntur, enumerat:

Verg. Reiff. 58: *deinde catalecton et priapia et epigrammata et diras, item Cirim et Culicem . . . scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam.*

Vita Persii: *scriperat in pueritia Flaccus etiam praetextam et hodoeporicon librum unum et paucos in socrum Thraseae in Arriam matrem versus . . .*

. . . „non fastidiendi quidem omnes, tales tamen ut Belli civilis videantur accessio.“

In hac sententia usus particulae *quidem* notabilis est, nam plane respondet Graecae voci *μέν*, in sententiis *μέν-δέ* particularum ope formatis[1]). Tales sententiae apud Suetonium saepissime inveniuntur:

Iul. 49,1: *pudicitiae eius famam nihil quidem praeter Nicomedis contubernium laesit, gravi tamen opprobrio;*

Iul. 30,2: *et praetextum quidem hoc fuit, causae autem aliae;*

Reiff. 29,1: *dicitur initium quidem fabulae in subsellio residens legisse, post paucos vero versus;*

Reiff. 57,6: *invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse;*

Reiff. 64,5: *nihil quidem nominatim de ea cavit, ceterum Vario scripta legavit.*

[1]) Qui usus aliis quoque scriptoribus Latinis proprius fuit, quod docet Thes. l. l. s. v. *autem*. Atque in exemplis illic collectis etiam multos Suetonii locos invenies.

Appendix de vita Horatii.

Horatii vitam quamquam iam primi editores Nannius et Muretus omni dubitatione remota ad Suetonium redire auctorem e scholiorum testimoniis demonstraverunt, tamen de duorum locorum origine perpetua dissensio fuit inter viros doctos neque adhuc plane composita esse videtur. Illas enim fabellas de salsamentario Horatii patre Reiff. 44,4—6, ac de poetae libidine Reiff. 47,13—15 multi Horatio indignas arbitrati interpolatoris opus existimaverunt. Quas etiam Reifferscheid e vita seclusit, id quod in Quaest. Sueton. p. 387 argumentis confirmare studuit. Attamen eas nequaquam a Suetonii usu esse alienas immo huius historici moribus optime convenire iam complures viri docti intellexerunt[1]), ac nos quoque eius rei supra (p. 31) exempla congessimus. Neque plus valent cetera argumenta contra Suetonium auctorem prolata. Nam etsi *patrem bracchio se emungentem* aliis quoque opprobrio esse datum cognoscimus e rhetor. ad Herenn. IV 54, — locus enim communis in rhetorum scholiis tritus fuisse videtur — tamen iam Suetonius eam de Horatio quoque accepisse potest. Qua enim via facillime iam ad vivum Horatium transferri potuerit, docet Kiessling ad ep. II 2,60[2]). Accedit quod indicia stili Suetoniani plurima inveniuntur. Quod restat ut hoc loco explicemus:

„(Q. Horatius Flaccus Venusinus, patre ut ipse tradit liber-

[1]) Sic censuerunt Vahlen, Varia H. XXVI (1891) p. 163 not.; Christ, Horatiana, Sitzungsber. d. Münch. Akad. 1893 p. 67, qui uberrime hanc materiam tractavit; Friedrich, Q. Horatius Flaccus, Philol. Unters. Lpz. 1894 p. 14.

[2]) Ludibrii causa adversarios ad Horatium id detulisse verisimile est, quod Bionem Borysthenitam de suo ipsius patre praedicavisse testis est Diog. Laert. IV 7,46: *ἐμοὶ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος*, cuius cavillationis ansam Horatius ipse praebuisse potest, cum quasi iactans dicat serm. I 6, 45/6 se *libertino patre natum.*

tino et exactionum coactore) ut vero creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: ‘quotiens ego vidi patrem tuum bracchio se emungentem‘.“

Vel numeros tam diligenter expolitos a librarii manu esse ortos nemo concedet. Cum dictione vero licet conferre haec:

Vit. 6: *hunc heredem institutum manu emisit brevique ut creditum est, interemit;*

Cal. 2: *obiit, ut opinio fuit fraude Tiberii.*

Alia exempla huius locutionis Suetonio valde usitatae collegit Freund I I § 4.

Verg. Reiff. 59,7: *in altercatione litis paulum afuit, quin occideretur;*

Tib. 2,4: *in altercatione et iurgio;*

Iul. 23,1: *triduo per irritas altercationes absumpto;*

Aug. 54: *ob immodicas disceptantium altercationes.*

Iul. 45,2: *ut quidam exprobraverunt;*

Iul. 50,1: *Pompeio a multis exprobratum est, quod eius filiam in matrimonium recepisset;*

Aug. 2,3: *M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat;*

Aug. 16,2: *unde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi: ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem;*

Aug. 70,1: *deorum dearumque habitu discubuisse convivas Antoni epistulae exprobrant.*

De alterius loci origine duae exstabant sententiae, utraque iam refutata. Lessingio enim, quod illam fabulam ab Hostio, de quo Seneca Quaest. nat. I 16 simile quiddam narrat, librariorum errore ad Horatium esse translatam censuit, iam Reifferscheid non assentiendum esse rectissime observavit. Ipse autem eam e scholiis ad ep. I 19,1, ubi de Cratino comico profertur, in vitam pervenisse contendit. Quod ut excutiamus, locos hic proponam:

Vita: *speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, ut quocumque respexisset, sibi imago coitus referretur.*

schol. ad. ep. I 19,1: *hic (Cratinus) per hanc vinolentiam tantae libidinis fuit, ut cubiculum suum speculis adornaret, quatenus et coitum suum spectare posset.*

Quas narratiunculas si inter se comparamus, quis est qui vitae orationem multo elegantiorem atque copiosiorem, etiam ad numeros redactam, e rudi scholii dictione fluxisse sibi persuadeat?

Immo vero vitam fontem scholii fuisse, sicut in Persii vita (p. 25), hic quoque statuemus. Neque desunt sermonis vestigia, quae Suetonium auctorem indicent:

Aug. 32,1: *grassaturas dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit.*

Tib. 72,1: *usque ad proximos naumachiae hortos subvectus est disposita statione per ripas Tiberis;*

N. 13,1: *Armeniae regem produxit dispositis circa fori templa armatis cohortibus;*

N. 27,3: *dispositae per litora et ripas deversoriae tabernae parabantur;*

Figura *habuisse disposita* non longe alium sensum praebet quam infinitivus perfecti ipse.[1]) Quod persaepe in aliis scriptis usu venire notum est (cf. Schmalz Syntax[4] p. 461 sq.); neque apud Suetonium desunt exempla:

Iul. 67,2: *milites habebat tam cultos;*

Aug. 25,2: *eos . . . sub priore vexillo habuit, neque aut commixtos cum ingenuis aut eodem modo armatos;*

Aug. 94,8: *obvium sibi Augustum, cum incognitum alias haberet.*

Similiter ac nostro loco haec quoque dicta sunt:

Iul. 78,1: *sed etiam admonentem Trebatium minus familiari vultu respexisse;*

Dom. 14: *parietes phengite lapide distinxit e cuius splendore per imagines quidquid a tergo fieret, provideret.*

Etiam de loci lectione discrepant opiniones. Nam Christ verba tradita plane sensu carere putat, et postquam Lessingii coniecturam *specula in cubiculo scortans ita dicitur habuisse disposita* ut audaciorem reiecit, ipse eam valde laudat, quam proposuit homonymus quidam meus Rh. M. VI (1848) p. 441 nota: *specula toto cubiculo dicitur habuisss disposita* etc. Quam etiam Vollmer in editione Horatii secutus est. Mihi vero Vahlen et Friedrich recte iudicavisse videntur, nihil esse quod non intellegi posset in verbis traditis. Quod enim vel imprimis offendat legentes, vocem *speculatum,* quamquam nusquam nisi hic legitur, tamen ab usu linguae Latinae non abhorrere probat Vahlen l. l., atque exempli

---

[1]) Hoc loco circuitus verborum imprimis eo consilio usurpatus esse videtur, ut melior clausula eveniret.

causa profert Varronis d. l. l. 8,29 *triclinia valvata ac fenestrata.* Suetonius quoque quam saepe vocabula similiter formata adhibuerit, docet Freund, ubi eius ἅπαξ εἰρημένα ocllegit (II VII). Velut legitur Cal. 54: *saepe depictas gemmatasque indutus paenulas, manuleatus et armillatus in publicum processit; aliquando sericatus et cycladatus;* Cal. 27,2: *verbenatus;* O. 12,1: *pedatus.*

Vita.

Natus sum Franciscus Glaeser die XX. Aprilis anno MDCCCLXXXVI Vratislaviae patre Bernhardo matre Maria e gente Scholz, fidei catholicae addictus. Ab anno aetatis duodecimo usque ad vicesimum gymnasium Scti. Iohannis hac ipsa in urbe frequentavi. Unde vere anni MCMVI ad Universitatem litterarum Vratislaviensem me contuli, ut imprimis studiis philologicis operam impertirem. Docuerunt me viri clarissimi:

Baumgartner, Cichorius, Drescher, Freudenthal †, *Foerster, Gercke, Hillebrandt, Kabitz, Koch, Kühnemann, Meißner, Muther* †, *Siebs, Skutsch, Wendland, Zacher* †, *Ziegler*.

Seminariorum sodalem me receperunt hi professores: Baumgartner, Foerster, Koch, Siebs, Skutsch, Wendland.

Quos viros cum omnes gratissimo colam semper animo, tum imprimis Skutschium, qui me ad huius libelli argumentum convertit neque unquam operi perficiendo curam impendere cessavit. Atque etiam Cichorio debeo gratiam, quod in nonnullis difficultatibus solvendis liberaliter me consilio adiuvit.